This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

892.4
B49g

231

QUAM

NOTITIAM LINGUÆ HEBRAICÆ

HABUERINT CHRISTIANI

MEDII ÆVI TEMPORIBUS IN GALLIA

B 864,561

223

THESIM

Proponebat Facultati litterarum Parisiensi

SAMUEL BERGER

NANCEII

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SOCIORUM

MDCCCLXXXXIII

PROPERTY OF
University of Michigan Libraries
1817
ARTES SCIENTIA VERITAS

23

Monsieur P. Viollet
hommage affectueux
Sisson.

QUAM

NOTITIAM LINGUÆ HEBRAICÆ

HABUERINT CHRISTIANI

MEDII ÆVI TEMPORIBUS IN GALLIA

QUAM

NOTITIAM LINGUÆ HEBRAICÆ

HABUERINT CHRISTIANI

MEDII ÆVI TEMPORIBUS IN GALLIA

THESIM

Proponebat Facultati litterarum Parisiensi

SAMUEL BERGER

NANCEII

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SOCIORUM

MDCCCLXXXIII

392.4
B49g

LUDOVICO DUCHESNE

PRÆCEPTORI DISCIPULUS

AMICO AMICUS

D. D. D.

Villet Coll.
7-31-46

PRÆFATIO

Scribenti mihi de primordiis studiorum hebraicorum apud homines nostræ gentis, hoc accidit ut, quos proposito meo maxime faventes expertus eram, ii mihi immatura morte interempti imperfecto opere deflendi essent; quos et vita mutuæ amicitiæ societate inter se conjunxerat, et mors intra paucos annos coæquavit. Quorum prior occidit ille, cujus oblivisci Sorbona non potest, Arsenius Darmesteter. Qui quantum litteris non solum gallicanis sed etiam hebraicis contulerit, satis notum est, sed multo plura in schedis adhuc latent quas reliquit, cum in animo haberet utrumque sermonem alterius studio illustrare. Pendet quidem opus interruptum, sed iis copiis, quas indefesso labore per totam Europam congesserat, non in perpetuum, ut speramus, fraudabimur. Alterum autem Isidorum Lœb recentissimis diebus fato functum dolemus. Qui multis quidem flebilis occidit, mihi præsertim, qui hoc in consuetudinem adduxeram, ut eum quotidie in consilium adhiberem et de rebus hebraicis ne unam quidem lineam inconsulto illo scriberem. Hic cum curaret ut suos per universum orbem peregrinantes et ubique dissipatos arcta quadam societate devinciret et in unum corpus componeret, hebraicæ gentis monumentorum ita curiosus erat, ut in eis quæ ad rabbinica medii ævi studia pertinent vix ullus cum eo æquiparari posset. Contentionum præcipue illarum, quæ XIII° sæculo in Gallia et in Hispania inter Judæos et christianos exarserunt, et calamitatum gentis hebraicæ reliquisset historiam, si ei opus absolvere licuisset. Tanta erat in eo verecundia et tam mira humanitas, ut aliis libentius quam sibi consuleret, vere Israelita in quo nihil erat fraudis. Eo exstincto, nobis non nihil auxilii, qua est doctrina et obsequio, afferre dignatus est Jos. Lehmann, seminarii hebraici ephorus, neque

minus Israel Levy, in eadem schola docens, et ipse rerum Talmudicarum intelligentissimus. Non enim tantum mihi confidebam ut sine ducibus peritissimis rabbinica studia vel tangerem, quod nobis christianis, ut par est, paucissimis exceptis, fere inexploratum est æquor. Sunt tamen inter nos qui historiæ litterarum hebraicarum non nihil contulerunt; inter quos unum hic adducam H. Denifle, Ord. Præd., qui mihi præsentissimo auxilio ita opitulatus est, ut vix declarare possim. Neque etiam mihi prætermittendum est, quantum doctrinæ et amicitiæ L. Havet, J. Martha et Æm. Chatelain debeam.

Verum res ipsa poscebat ut lucubrationibus meis certos quasi terminos ponerem. Vetabat omnino imperitia litterarum talmudicarum ne extra catholicæ ecclesiæ fines evagarer. Ita fiebat ut mihi ne verbum quidem dicendum esset de glossariis illis hebraico-gallicanis de quibus, post Fr. Delitzsch, A. Darmesteter tam luculenter disputavit. Glossæ etiam illæ gallicanæ, quibus scatent commentaria principis illius judaicorum exegetarum, Salomonis Isaacidæ, qui nobis communi sermone Raschi dicitur, extra nostrum prospectum jacebant. Quas glossulas vernaculas, rabbinis *laazim* dictas, idem A. Darmesteter ea, qua erat, eruditione in lucem editurus erat. Sed hæc Judæorum provincia est. Neque minus hoc nobis observandum erat, ne res hispanicas, ad quas nostris etiam temporibus rarus patet aditus, attingeremus. Nam et hæc peculiaris quædam materia est et arctissime cum historia earum controversiarum cohærens, quæ inter Hebræos et christianos in Hispaniis et in Gallia agitatæ sunt. Parum ad nos pertinet, ea studia hebraica, quæ S. Dominici asseclæ Barcinonæ vel Toleti assiduis laboribus coluerunt, retractare, cum hæc vere studia militaria fuerint et quasi quidam pugio fidei, confutandis rabbinis aptatus. Cæterum disputationibus illis satis H. Denifle et I. Lœb incubuerunt, dominicanus ille et alter rabbinus, uterque inter propugnatores suæ fidei et suæ gentis præcellens. Regnum etiam Castellæ hoc præ cæteris habuit, quod ibi Sacra Scriptura non semel ex hebraico in linguam vernaculam translata est, cum Judæi hispani multis temporibus ea libertate fruerentur, quam in aliis regionibus amissam dolebant, sed ea laus vix ad alios redit, quam ad Judæos, sive quis aqua baptismi tinctus est, sive in fide patria perseveravit. Imperator denique ille misopapa, Fridericus II, quum omnibus artibus auctoritatem Romani Pontificis impugnaret, hoc

egit ut litteris hebraicis faveret, quæ studia πολεμικά post devictum sedis apostolicæ inimicum evanuerunt.

Nobis hoc non agitur, ut omnia quæ de studiis hebraicis medii ævi apud nos scire licet in medium proferamus. Multa, sive subobscura, sive minoris momenti, omisimus, præcipue cum viri docti de his sufficienter disputaverint et illæ quasi scintillulæ sint, quibus tenebræ nostræ obscuriores efficiuntur. Sed cum perrari sint illi qui linguam hebraicam ante instaurata litterarum antiquarum studia coluerint, hoc nobis in animo fuit ut, si quid hebraici sermonis apud homines medii ævi notionem prodit, illud summo studio recenseremus. Quod opus præ temporum iniquitate intra paucas paginas absolvetur. Quanto autem rariores, tanto præstantiores nobis apparebunt homines illi quibus sermo Veteris Testamenti ediscendus cordi fuit, sive de Hebræo illo, christiano facto, noni sæculi nobis res erit, sive de Rogero Bacone summo viro et de ejus discipulis, sive etiam de eo quem Lutherus præceptorem adhibuit, Nicolao Lyrano. Neque operam perdiderit, si quis hæc medii ævi lumina propius inspicere conatus erit.

ELENCHUS LIBRORUM

Acta eruditorum, Lipsiæ, 1690, p. 95.

ROGERI BACONIS *Opus majus ad Clementem IV,* ed. Jebb. Londini, 1733, form. max.

EJUSDEM *Opera quædam hactenus inedita,* t. I, ed. J.-S. Brewer. Londini, 1859 (*Coll. of the Master of Rolls,* t. XVIII).

S. BERGER, *Des Essais qui ont été faits à Paris au* XIIIe *siècle pour corriger le texte de la Vulgate. Revue de Théologie et de Philosophie,* t. XVI. Lausanne, 1883, p. 41.

EJUSDEM, *De l'Histoire de la Vulgate en France. Leçon d'ouverture.* Parisiis, 1887.

EJUSDEM, *Histoire de la Vulgate pendant les premiers siècles du moyen âge.* Parisiis, 1893.

A. DARMESTETER, *Rapport sur une mission en Angleterre. Archives des Missions scientifiques et littéraires,* 1871, p. 91 (repetitum in opere posthumo, *Reliques scientifiques,* 1890, t. I, p. 107).

EJUSDEM, *Rapport sur une mission en Italie. Archives des Missions,* 1878, p. 383 (*Reliques scientifiques,* t. I, p. 119).

EJUSDEM, *Glosses et glossaires hébreux-français du moyen âge. Romania,* t. I (1872), p. 146 (*Reliques scientifiques,* t. I, p. 165).

J. BONNARD et A. DARMESTETER, *Un Alphabet hébreu-anglais au* XIVe *siècle. Revue des Études juives,* t. IV, 1882, p. 255 (*Reliques scientifiques,* t. I, p. 204).

F. DELITZSCH, *Jesurun, sive Prolegomenon in concordantias V. T. a J. Fuerstio editas libri III. Isagoge in grammaticam et lexicographiam linguæ hebraicæ contra G. Gesenium et H. Ewald.* Grimmæ, 1838.

H. DENIFLE, *Die Handschriften der Bibel-Correctorien des* 13. *Jahrhunderts. Archiv für Literatur- und Kirchengeschichte,* t. IV, 1888, p. 263 et 471.

J.-C. DŒDERLEIN, *Literarisches Musæum,* t. I, Altorfii, 1778, p. 1; t. II, p. 177, et t. III, 1778, p. 344 : *Von Correctoriis biblicis.*

HUMFR. HODII *De Bibliorum textibus originalibus, versionibus græcis et latina vulgata.* Oxonii, 1705, form. max.

C. JOURDAIN, *Un Collège oriental au* XIIIe *siècle à Paris,* s. a. (ex diario *Revue des Sociétés savantes,* series II, t. VI, 1861, p. 66; repetitum in libro *Excursions à travers le moyen âge.* Parisiis, 1888, p. 219).

EJUSDEM, *De l'Enseignement de l'hébreu dans l'Université de Paris au* XVe *siècle.* Parisiis, 1863 (*Excursions,* p. 231).

P. DE LAGARDE, *Psalterium juxta hebræos Hieronymi.* Lipsiæ, 1874.

EJUSDEM, *Onomastica sacra* (1870). Ed. II. Gottingæ, 1887.

A. LEFRANC, *Histoire du Collège de France.* Paris, 1893.

I. Loeb, *La Controverse de* 1240 *sur le Talmud. Revue des Études juives,* t. I, 1880, p. 247; t. II, 1880, p. 248, et t. III, 1881, p. 39.

J. Martianay, *S. Hieronymi opera,* t. I et II. Parisiis, 1693 et 1699, form. max.

J.-P.-P. Martin, *S. Étienne Harding.* Ambianis, 1887 (ex diario *Revue des Sciences ecclésiastiques*).

L. Reinhardi *Dissertatio de fatis studii hebræo-biblici inter christianos.* Vitembergæ, 1723, form. maj.

M.-H. Reinhard, *Pentas Conatuum sacrorum.* Lipsiæ, 1709, p. 147 : *Nic. Lyranus nunquam judæus.*

C. Siegfried, *Raschi's Einfluss auf. N. v. Lira u. Luther in der Auslegung der Genesis. Archiv f. wissenschaftl. Erforschung des A. T.,* t. I, Halis, 1867-1869, p. 428; t. II, 1871, p. 39.

R. Simon, *Histoire critique des versions du N. T.* Roterodami, 1690, form. maj., p. 114.

Ejusdem, *Nouvelles Observations sur le texte et les versions du N. T.* Parisiis, 1695, form. maj., p. 128.

J. Soury, *Des Études hébraïques et exégétiques au moyen âge chez les chrétiens d'Occident.* Parisiis, 1867. (Cf. *Positions des thèses de l'École des Chartes,* 1865, p. 31.)

J.-C. Ulrich, *De linguæ ebraicæ inter christianos ante Reuchlinum cultu.* Halis, 1751, form. maj.

D. Vallarsi, *S. Hieronymi opera, post monachorum congr. S. Mauri recensionem denuo ed.,* t. III et IX. Veronæ, 1735 et 1738, form. max. *Ed. altera,* t. III et IX. Venetiis, 1767 et 1770, form. maj.

C. Vercellone, *Dissertazioni academiche.* Romæ, 1864, p. 35 : *Dei correttorii biblici della Biblioteca Vaticana* (1857 — gallice versum in *Analectis juris Pontificii,* t. II, a. 1857, col. 683).

QUAM

NOTITIAM LINGUÆ HEBRAICÆ

HABUERINT CHRISTIANI

MEDII ÆVI TEMPORIBUS IN GALLIA

PARS PRIMA

ANALECTA VETERA

CAPITULUM PRIMUM

DE QUÆSTIONIBUS HEBRAICIS IN LIBROS REGUM

Præceptor medii ævi, quod ad res Veteris Testamenti attinet, fuit ille quo etiam nos in multis doctore utimur, S. Hieronymus. Cujus ***Quæstiones hebraicæ in Genesim,*** una cum libello ***de Locis sanctis*** et cum ***Interpretationibus hebraicis,*** fons præcipuus fuerunt ex quo manavit si quid veri et genuini hebraismi apud exegetas non unius sæculi invenitur. Non omnia tamen, quæ sub nomine ejus florente medio ævo circumferebantur, ad eum redeunt. Inveniuntur enim inter spuria sancti doctoris opera libelli ***de Quæstionibus hebraicis in libros Regum et Paralipomenon,*** qui mirum quantum ab ejus styli indole discedunt. Quos evulgavit Martianæus, operum S. Hieronymi editor accuratissimus. Sed nos de ætate libri illius dubitare minime possumus, cum testem habeamus Rabanum Maurum, iisdem secum temporibus vixisse auctorem nostrum anonymum, quem in præfatione commentarii in libros Regum Ludovico Pio inscripti his verbis, et rursus iisdem repetitis vocibus in præfatione commentarii in libros Paralipomenon, adducit :

> Præterea Hebræi cujusdam modernis temporibus in scientia legis florentis capitula traditionem Hebræorum habentia non paucis locis simul cum nota nominis ejus inserui.

Quem scriptorem, ab Hieronymo omnibus notis dissimilem, durioribus verbis taxat Martianæus. Nos vero in contrariam sententiam ibimus, cum non alter sit inter christianos prioris ævi ex quo tam multas traditiones Hebræorum hauriamus. Qui vere fuit Hebræus, in Talmude a pueritia edoctus, sed qui christianam fidem assumpsisset, cum non tantum aperte Christum Dominum profiteatur, sed eo usque originum suarum obliviscatur, ut Hebræos, ex quibus ortus erat, « gentem illam » nuncupet. Præterea, cum opus ejus nihil sit nisi perpetua Hieronymianæ Sacrarum Scripturarum versionis enarratio, non est ut dubitemus quin ille christianus ad edocendos christianos scripserit. Sed ubi propius ad ipsum librum accesseris, mira tibi apparebit rabbinicæ traditionis notitia. Translationem novam eorum quos retractavit locorum interpres noster ex hebraica, ut aiunt, veritate contexuit ; interpretationem seu potius etymologiam hebraicorum nominum non ex Hieronymo, quæ cæterorum perpetua consuetudo est, sed ex ipsis radicibus hebraicis desumpsit. In enarrando vero sacro contextu, eum se præbet cui parem in toto medio ævo non invenias. Nihil enim apud eum est, quod non puram Hebræorum traditionem sapiat. Nullum nomen adducit, neque, nisi unico verbo : « Hebræi tradunt », unde sua sumpserit indicat, sed pæne incredibilem prodit cum antiquis judaicis exegetis familiaritatem. Immo vero cæteris universis, qui ad nos pervenerunt, hebraicis Sacræ Scripturæ interpretibus antiquior est, cum nec unum habeamus, ut aiunt, *midrasch* in libros Samuel quod sæculum post Christum decimum ætate superet. In eo maxime videtur notabilis, quod libros sive deperditos sive a talmudistis neglectos haud raro adducit, unde libros ejus inter præcipuos traditionis hebraicæ fontes recenseri æquum est. Sed de illo satis nobis dictum est, cum speremus Jos. Lehmann, virum in Talmude exercitatissimum, Quæstiones hebraicas nostras censuræ suæ subjecturum, quem laborem rerum hebraicarum studiosis non nihil commodi allaturum arbitramur.

CAPITULUM II

DE SCHOLIIS HEBRAICIS IN SACRAM SCRIPTURAM

Scholia hebraica in Sacram Scripturam idem Martianæus, ut videtur, ex codice S. Germani, nunc Bibl. Nat. lat. 11937, evulgavit. Quæ vir eruditus haud putavit ad alium redire auctorem, nisi ad eumdem, qui *Quæstiones hebraicas in libros Regum et Paralipomenon* concinnavit. *Utrobique* enim (hæc sunt Martianæi verba) *una est scriptoris eruditio, eædem phrases et ipsissima verba.* Ne lato quidem ungue ab auctore Quæstionum hebraicarum discedit scholiastes noster, neque etiam fieri potest, ut scholia nostra marginalia e Quæstionibus hebraicis fluxerint, cum multa in iis legantur nova et a prolixiore libro aliena. Unde merito collegit Maurinus scriptor scholiastem nostrum ipsissimum auctorem esse Quæstionum hebraicarum in libros Regum et Paralipomenon, quem nos hebræum fuisse et eum quidem baptizatum, cum ex Rabani Mauri sententia, tum ex ipsius libri indole, probe novimus.

Glossæ hebraicæ nostræ non omnes capiunt Sacræ Scripturæ libros, sed tantum in quibusdam inveniuntur, scilicet in Pentateucho, in libris Josue et Ruth, in Samuel et Regum libris, apud Jobum et in Psalmis. Unde quis colligere possit scholiastem exemplar manibus tenuisse, in quo (quod rarissimum est inter codices sacros) hagiographa quæ dicuntur libros Regum excipiebant, vel liber Job libris Samuel anteponebatur. Sed cum ex paucis admodum codicibus glossas nostras habeamus, vix est ut de earum integritate certi aliquid asserere queamus. Res ergo nobis in medio relinquenda est.

Cæterum codici Sangermanensi alii addendi sunt, ubi scholia nostra habentur, nempe codices Hafnianus (n. f. reg., 1), a L. Delisle adductus, et Augiensis 107, nunc Caroliruhæ asservatus. Sed in hoc, ut notavit P. de Lagarde, glossis hebraicis non littera *h* sed litteræ *l. c.* prænotantur : quæ nota nobis obscurior videtur.

Hoc egit glossator noster, ut ad sensum hebraicum genuinum semper quam proxime accederet, et hebraicam veritatem, ut ita dicam, urgeret. Sed in hoc se bonum censorem exhibuit, quod ne illi quidem in mentem venit, suas ipsius lucubrationes pro Hieronymianis subjicere. Quod non semper observaverunt qui codices nostros glossatos exscripserunt. Nam ipse notavit Martianæus in nonnullis codicibus ita omnia mixta esse, ut scholia marginalia in textum defluxerint : unde non parva exstat omnium rerum confusio. Qui codices sunt Farfensis (sive Vaticanus 5729) et Carcassonensis jam Martianæi temporibus deperditus, uterque canonem

hebraicæ veritatis, sive Scripturam sacram secundum ordinem Hebræorum continens, et codices Montis S. Michaelis et Augustinorum Burdigalensium, in quibus Psalterium saltem legebatur[1]. Quibus forsan alii addendi sint, exempli gratia ille quo in interpretandis Psalmis usus est scriptor ille normannicus, cui principem Psalterii hebraici translationem debemus[2].

Quæ sit scholiastæ nostri de re critica sententia, ex alio quodam ejusdem opusculo compertum habemus. Demonstravit enim Martianæus ejusdem auctoris exstare commentariolum, hactenus ineditum, in Canticum Debboræ, unde hæc adducit:

Quod ait *o Amalec* in hebræo non legitur; sed latinus interpres sensus gratia hoc addidit.

Bene igitur sensit Hebræus noster, quamdam interpreti sacro licentiam esse concedendam, neque pro vitio habendum, si aliquoties sensum magis quam ipsa verba respexerit. Neque hoc sibi proposuisse videtur, ut ipsam Vulgatam editionem ex hebraico emendaret, sed ut ipse propius ad sensum litteræ accederet et veram effigiem hebraici textus, ut ita dicam, ad vivum depingeret. Et hæc quidem boni judicis sunt.

Hoc tamen nobis non reticendum est, ex tribus codicibus quibus, præter psalmos, scholia hebraica ad nos delata sunt, duo speciem Theodulficæ familiæ referre, tertium propius ad eamdem formam, ut videtur, accessisse. Unde quis dicat verisimillimum esse, non ad aliud exemplar ea concinnata esse, quam ad eam editionem, quæ ab Aurelianensi episcopo originem duxit. Cum ergo Theodulfum inter annos 798 et 818 scripsisse constet, laudandus est Rabanus, qui Hebræum nostrum modernis temporibus in legis scientia floruisse prædicavit.

Longum esset de ea, quæ apud christianos Carolingorum temporibus invaluit, hebraicarum litterarum notitia disserere. Adducendus imprimis est Agobardus, illustrissimus ille ecclesiæ Lugdunensis antistes (814-840), qui in libro *De judaicis superstitionibus*[3] fatetur *se quotidie pæne cum Judæis loqui et mysteria erroris ipsorum audire*, neque nihil ad eos, qui perierunt, veteres Judæorum libros cognoscendos affert. Laudandus etiam qui Agobardo successit, Amolo, in libro *contra Judæos* inscripto, quod opus postea compilavit Petrus Venerabilis, abbas Cluniacensis.

1. Vide Martianæum ad Ps. I, 3; LXIX, 14; LXXIII, 28 cæt.
2. S. Berger, *La Bible française au moyen âge*, p. 6.
3. Opera, ed. Baluze, t. I, p. 75.

CAPITULUM III

DE ALPHABETIS HEBRAICIS ET SAMARITANIS ET DE ANTIQUIORE HEBRAICÆ LINGUÆ PRONUNTIATIONE

Multum quidem distat inter notitiam alphabeti et linguæ scientiam, et multæ sunt causæ, cur litteras quis extraneas discat, cum de ipso sermone ediscendo parum curet. Inter quas rationes hæc forsan præcipua est, quod Hebræorum litteræ in sacris Scripturis, cum in Psalmis qui dicuntur alphabeticis tum in Lamentationibus Jeremiæ, peculiarem locum habent, unde ex vetere traditione nescio quis magicus sensus characteribus hebraicis additus est, et usus ab antiquis temporibus invaluit, mysticum iis sensum tribuendi. Sed de allegoricis illis characterum hebraicorum interpretationibus luculenter, ut solebat, disseruit A. Darmesteter.

In codice pretiosissimo sacrorum Bibliorum, olim Sangermanensi, nunc Bibl. nat. lat. 11505, in Centula abbatia, ut opinor, conscripto, qui notam præ se fert anni 822, leguntur, fol. 213 v°, ipsa manu scriptoris descripta alphabeta tria, samaritanum, hebraicum et græcum, quæ epistolam S. Judæ excipiunt. Quorum primum his verbis adducitur :

Hi sunt Samaritæ qui et patriam consuetudinem coservant, ignem colentes et judaica mandata. Hoc Ezras nobis scire tradidit scriptis suis... Ezras legis doctor formam aliam litterarum instituit eis, virtute tamen litterarum eadem servata : quibus litteris etiam nunc utuntur Judæi. Sunt igitur ebraicæ litteræ quæ per Moysen sunt traditæ XXII, et hæc nomina eorum.

Forme autem istæ sunt :

A leph ם mem unicus

. . . . . .

Nemo non videt hic errorem intercidisse, et scriptorem inverso ordine juxta nomina characterum hebraicorum formam ipsorum et iterum nomina, nec non suetam interpretationem mutato ordine ita reposuisse, ut a medio alphabeto initium sumeret.

Deinde, post absolutum ordinem litterarum samariticarum, prosequitur hæc addens :

Scribuntur autem versus a nobis inverse a dextris, namque a sinistris partem eos finiunt. Propter quod et nos hoc eodem modo litteras posuimus. Judaicas vero quibus etiam nunc utuntur Judæi hisdem vocabulis, eadem virtute, forma immutata tantum, ut supra taxavimus.

Sequuntur disposita sex laterculis, 1° litteræ latinæ inverso hebræorum ordine ita dispositæ, ut ab N littera series incipiat, 2° litteræ hebraicæ, 3° alphabetum græcum majus, ab A incipiens, 4° nomina litterarum græcarum, 5° alphabetum græcum minus, 6° numeri qui litteris græcis respondent, ita ut post Ω runa *tir*, sagittæ effigiem præbens, sequatur, secunda manu addita.

Signa quibus Hebræorum litteræ pinguntur unde originem duxerint, haud facile dictu est, nam non leviter deformata videntur. Sed, quamvis corruptissima eorum species sit, non desunt documenta, quibus certior fias, nonnulla quadratæ nostræ scripturæ antiquiora esse. Longe melius se habet alphabetum samaritanum, quod, cum multis sæculis omnes Samaritarum codices manuscriptos antecedat, non parvi nobis pretii reputandum est. Sed antequam de eo disseramus, nobis de cæteris codicibus ejusdem alphabeti breviter dicendum est.

Exstat in bibliotheca Abrincatensi, sub numero 107, codex sæculi XII, de quo postea amplius nobis res erit, ubi, inter cætera, ea quæ putabantur fuisse Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Ægyptiorum et Sarracenorum alphabeta leguntur. Alphabetum quidem hebraicum hoc titulo prænotatur :

Hebreorum litteræ XXII, juxta numerum veteris legis, id est Moysi quinque, prophetarum VIII^to^, agyograforum novem :

א aleph A

. . . . . .

Servatur etiam in Bibliotheca nostra Nationali, sub n° lat. 152, liber a Baluzio comparatus, e diversis codicibus conglomeratus, ubi fol. 26-29 fragmenta commentariorum S. Hieronymi in Ezechielem leguntur, Turonis, ut videtur, sæculo IX descripta. Fol. 30 scriptura semiuncialis turonica, palæographis bene nota, apparet, et in calce ejusdem paginæ alphabetum hebraicum, vel potius samariticum, manu coætanei scriptoris additum legitur.

Sed utrumque alphabetum, Abrincatense scilicet et Baluzianum, tam arctam prodit cum alphabeto Sangermanensi samaritico necessitatem, ut singulos inter se propinquos dicas. Abrincatense quidem paulisper a Sangermanensi recedit, sed Baluzianum, sive Turonense, vix uno apice a Sangermanensi differt, ita ut pæne eum ex archetypo codice anni 822 descriptum dicturus sis. Ipsum autem alphabetum samaritanum certo certius ad codices genuinos Samaritanorum conformatum esse recte senseris, cum quasi medium inter veterem Hebræorum scripturam et samariticos, quos habemus, codices teneat locum. Sed de his disputent doctiores [1].

1. Alphabeta hebraica videbis etiam in Psalterio Georgii de Sclavonia, Bibl. Turon. 95 (s. XIV ex.), fol. 75, et in cod. Bibl. nat. hebr. 113 (sæc. circa XIV), fol. 137 v°.

Non absonum nobis videtur fore si hic pauca de pronuntiatione linguæ hebraicæ, qualis Carolingorum temporibus fuerit, dixerimus. Cujus optimum documentum habemus in codice Carnotensi 30, sæculo x exarato [1], qui Psalterium triplex continet.

In litania vero ii sancti invocantur quos Carnotensis et Aurelianensis diœceses patronos rogant, unde in eadem regione conscriptus codex esse videtur.

In Psalterio « hebraico » legitur, in parte psalmi II et in psalmo XLV (XLIV), glossa hebraica, latinis tamen litteris conscripta, quæ scriptorem sæculi x arguit. Verba autem hebraica his litteris pinguntur [2] :

Ps. II. [8]saal mime[n]ni ethna goim nahelathecha ua aHuzadcha afçe arez [8]teroaem beseuet barzel ki chli jocér tnape·cc·m [10] uaatta malachim Hazkilu hiueçru softe arez [11]aiuedu eth adn birea uegilu bi reada [12]nascu bar pen je[n]af uethouedu derech ki jiuear ki maat apo asre col Hoçe bo.

Ps. XLV. [3]raHas libbi dauar tou· omer ani maçai lamelech lesoni aet çofer mahir [3]iaflaflitha mibne adam hitecak Hen beçifthothecha al ken berach[n]cha elohim laolam [4]Hagor Harbacha al jerech gibbor hode·cha ([3]) u·ahe·d·arecha [5]u·ahe·d·archa ·celaH rechau· al de·u·aremeth ([4]) u·aanneu·a ced·ek u·e·thore·cha noraoth je·minecha [6]He·itcecha senunim amim taHatecha g·ippolu bleu·e oiu·e hamelech...([5]).

Si vero quæratur qui fuerint glossatori nostro in transcribendis hebraicis litteris canones, tabella nobis, quas secutus sit regulas, indicabit :

א *reticetur.*
ב = b
ב = u, u· ([6])
ג = g, g·
ג = g, g·
ד = d, dd
ד = d, th
ה = h, *in fine vero vocabulorum reticetur.*
ו *consonans* = u·, u
ו *vocalis* = u
ז = z
ח = H ([7]), *semel* c·h, *bis* h
ט = t
י *consonans* = j, i, *semel* g·i
י *vocalis* = i
כ = k, *semel* ch
כ = ch, *semel* c·h, *semel* c
ל = l
מ = m, mm
ם = me *vel* mme
נ = nn
נ = n, *semel* nn
ס = ç
ע = a *ante* e i *et* o, *semel* h *ante* ·, *bis* a· *ante* i *et* o

1. Neque omittendum est *Symbolum apostolicum* hebraice, latinis expressum litteris, quod in codice IX, ut videtur, sæculi legitur. Qui codex ecclesiæ Essendinæ (Essen, in pago Ruragowe) fuisse traditur (Binterim, *Epist. cathol. II,* 1824, laudante A. Hahn, *Biblioth. der Symbole,* ed. II, p. 51) : *Ani maamin beloah...*
2. Lectorem non pigebit biblia hebraica in comparationem adhibere.
3. Codex : *hoole·cha.*
4. Codex : *de·u·aremeh.*
5. Totum psalmum XLV leges apud Martianæum in Appendice t. I *Sacræ bibliothecæ,* unde defluxit in P. de Lagarde *Psalterio juxta Hebræos,* p. XVI.
6. In *a· d· g·* et *u·* notatur semper punctum in medio ipsius characteris.
7. Nonnunquam confunditur *h* cum *H.*

פ = p
פּ = f
צ = c, *quod semper pronuntiatur* ts, *etiam ante* o *vel ante consonantem, semel* tc, *semel* c
ץ = z
ק = k
ר = r
שׁ = s
שׂ = ç, *semel* z
ת = th
תּ = th, *bis* d

ַ = a
ָ = a, *semel* e
ָה (pro ָהּ) = o
ֶ = e
ֵ = e
ִ = i
ֹ *et* וֹ = o
ֻ = u
ְ = e, *vel* e, *vel* ᵉ, *vel* a (*præsertim ante* ע *vel ante* a), *semel* i; *sæpe reticetur.*
ֲ = a *vel* e, *sed sæpius reticetur.*
ֱ = e, *semel* ᵉ

Tonus interdum per accentum acutum vel circumflexum indicatur.

CAPITULUM IV

DE STEPHANO ABBATE CISTERCIENSI SACRI TEXTUS CENSORE

Mirandum sane est inveniri etiam nostris temporibus historicos, quibus ratum habetur Carolum Magnum imperatorem litteris græcis et hebraicis studuisse. Quæ sententia ad Theganum redit, quo auctore imperator ultimis vitæ suæ temporibus nihil aliud egit « quam ut libros corrigeret », et usque ad finem emendando « cum Græcis et Syris » evangeliorum textui incubuit[1]; sed vix operæ pretium est aniles illas fabulas confutare.

Quod vero magno imperatori in mentem venire non poterat, id aggressus est, tribus elapsis sæculis, Stephanus Harding, cœnobii Cisterciensis secundus abbas.

Servantur adhuc Divione in bibliotheca publica (n° 9 *bis*) quatuor volumina in quibus tota Sacra Scriptura continetur. In fine tomi secundi legitur manu prorsus coætanea post Ezechielis prophetiam insertum (fol. 150 v°):

Anno M^mo^ centesimo nono ab incarnatione Domini liber iste finem sumpsit scribendi, gubernante Stephano, II° abbate, cenobium Cisterciense.

Tum eadem manu[2] :

Frater Stephanus novi monasterii abbas et præsentibus et futuris servis Dei salutem. Hanc historiam scribere disponentes, inter plurimos libros, quos de diversis ecclesiis congregavimus ut veraciorem sequeremur, in quendam fere ab omnibus multum dissonantem impegimus. Et quia illum pleniorem ceteris repperimus, fidem ei accommodantes, hanc historiam, secundum quod in eodem libro inveniebamus, scripsimus. Qua digesta, non modice de dissonantia historiarum turbati sumus, quia hoc plena edocet ratio, ut quod ab uno interprete, videlicet beato Jheronymo, quem ceteris interpretibus omissis nostrates jamjamque susceperunt, de uno hebraicæ veritatis fonte translatum est, unum debeat sonare. ... Unde nos multum de discordia nostrorum librorum, quos ab uno interprete suscepimus, ammirantes, Judeos quosdam in sua scriptura peritos adivimus, ac diligentissime lingua romana ab eis inquisivimus de omnibus illis Scripturarum locis, in quibus illæ partes et versus habebantur quos in nostro prædicto exemplari inveniebamus, et jam in hoc nostro opere inserebamus, quosque in aliis multis historiis latinis non inveniebamus. Qui suos libros plurimos coram nobis revolventes et in locis illis ubi eos rogabamus hebraicam sive chaldaicam scrip-

---

1. Thegani *Vita Hludovici*, *Mon. Germ.*, *Script.* t. II, p. 592.
2. Nobis totus textus, cum a Mabillonio operum S. Bernardi editore (t. I, in Adnotationibus, p. XII) parum accurate excusus sit, hic ex ipso codice exscribendus erat. Sed illum melioribus curis bene edidit H. Denifle.

turam romanis verbis nobis exponentes, partes vel versus, pro quibus turbabamur, minime reppererunt. Quapropter hebraicæ atque chaldaicæ veritati et multis libris latinis qui illa non habebant, sed per omnia duabus illis linguis concordabant, credentes, omnia illa superflua prorsus abrasimus, veluti in multis hujus libri locis apparet, et præcipue in libris Regum, ubi major pars erroris inveniebatur. Nunc vero omnes qui hoc volumen sunt lecturi rogamus quatinus nullo modo prædictas partes vel versus superfluos huic operi amplius adjungant. Satis enim lucet in quibus locis erant, quia rasura pargameni eadem loca non celat. Interdicimus etiam auctoritate Dei et nostræ congregationis ne quis hunc librum, multo labore præparatum, inhoneste tractare, vel ungula sua per scripturam vel marginem ejus aliquid notare præsumat.

Et revera apparent in multis Sacræ Scripturæ locis rasuræ, quæ eos versus sive eas voces, quas Stephanus deleri voluit, non tam, ut ipse ait, celant quam indicant. Cæterum non desunt notæ marginibus appositæ, ubi quæ sit causa, cur textum immutaverit abbas Cisterciensis, exprimitur. Sed ejusmodi correcturæ et adnotationes non in omnibus partibus sacri codicis inveniuntur. Vix enim alibi reperiuntur quam in Pentateucho, ubi rariores sunt, in libris Regum, in libro Job et in Evangeliis.

Quæ adnotationes hujus modi sunt :

Job. II, 10 : In quibusdam latinis habetur : *quasi una de stultis mulieribus* [1]; sed in hebreo *mulieribus* non habetur, nec in quibusdam latinis.

III, 4 : In fine hujus versus plus invenimus in aliquibus latinis [2], sed hebreus non plus habet, nec quidam latini.

V, 15 : In quodam latino sic vidimus : *Porro salvum faciet egenum,* sed *egenum* non habet hebreus nec latini aliqui.

VI, 7 : Ante hunc versum quidam latini habent quendam versum [3] qui hic non habetur nec in hebreo, nec in quibusdam latinis.

XVII, 6 : Post hunc versum in quibusdam libris habetur quidam versus [4] qui hic non habetur, quia hebreus et quidam latini illo carent.

Luc. II, 15 : In omnibus fere antiquis libris invenimus sic : *quod fecit Dominus et ostendit nobis* [5].

Ib., X, 30 : *Suscipiens* [6] in veracibus et antiquis et in greco invenimus.

Act. X, 6 : In duobus vetustissimis et multum veracibus hystoriis non invenimus hunc versum : *Hic dicet tibi quid te oporteat facere* [7].

Si vero diligentius inquiramus qualia fuerint Stephani abbatis exemplaria, tam plenius illud quam quæ ipse veracia nuncupat, hoc nobis ratum

---

1. Deest *mulieribus* in ipso textu.
2. Codd. Sacræ Scripturæ permulti : *et non sit in recordatione et non inlustretur lumine,* vel *nec inlustretur lumine.*
3. Codd. plerique : *Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur* (ex Prov. XXVII, 7).
4. *Nunc autem derident me juniores,* etc. (ita codd. non pauci).
5. Ita codd. præstantiores; plerique : *quod Dominus ostendit nobis.*
6. *Suspiciens* codd. permulti.
7. Hæc verba omittunt codd. emendatiores.

erit, codicem pleniorem, ex quo Cisterciense, nunc Divionense exemplar exscriptum est, vulgatum illo tempore textum retulisse. Porro librorum sacri codicis series eum, minutissimis quibusdam exceptis, efficiebat ordinem, qui textibus visigothicis et illis codicibus qui in Gallia meridionali descripti sunt, vulgaris fuit. Exemplaria vero correctiora ex quibus vulgatum textum correxit illis non absimilia fuisse videntur, quæ in schola Turonensi nono sæculo exscripta sunt. Neque ipse textum meliorem perpetuo exscripsit, nec in emendando sacro textu nimium diligentem se exhibuit, ut hoc quidem fatendum sit, Stephanum proposito suo, utpote immaturo sæculo, imparem exstitisse. Quod eo magis dolendum est, quod textus stephanicus, ut par erat, non mediocris fuisse auctoritatis videtur in conventibus Cisterciensibus. Sed de his nobis nunc non agitur.

CAPITULUM V

NICOLAI MANJACORIÆ SUFFRAGANEUS BIBLIOTHECÆ

Studium corrigendæ Sacræ Scripturæ, cujus instinctu Stephanus Harding Hebræos adierat et ab eis didicerat, Nicolaum, ejusdem sæculi hominem, impulit ut et ipse ad rabbinos confugeret et eorum scholæ se addiceret.

Legitur in codice Bibliothecæ Venetæ Marcianæ 178 (olim lat. CCLXXXIX, Bessarionis) fol. 141-181 v°, sæculo, ut videtur, XIV-XV manu italica in chartis nitidissime descriptus, Nicolai Manjacoriæ *Suffraganeus Bibliothecæ*. Cujus præfationem cum accuratissime excudendam curaverit H. Denifle, nobis satis erit ut ex ea pauca excerpamus :

Incipit[1] *Suffraganeus bibliothecæ, editus a Nicolao Manjacoria.*

[P]etro venerabilis basilicæ S. Petri canonico Nicolaus humilis tituli Damasi diaconus, spiritum cogitandi que recta sunt et agendi. Cum corruptum Regum volumen in vestro repperissetis armario, ad hoc corrigendum quaterniones bibliothecæ quam me studiose audieratis transcribere libuit postulare. Quos vestigio vestrum quidam percurrens venit ad locum ubi, cum tractatur de secunda diffusione Philistinorum in valle Raphaim, infertur : *Consuluit autem David Dominum*[2], nec qualiter consulnerit indicatur. Porro in quibusdam mendosis codicibus solet hoc repeti : *si ascendam ad Philistiim et si dabis eos in manu mea*[3], quod videlicet in diffusione prima[4] solummodo continetur. Itaque, cum id lectus quaternio non haberet, estimatus est minus habens, statimque in brevi folio annotatum et in ipsius consutum margine michi missum est, ut scilicet festinarem supplere quod minus continens videbatur. Quod ut vidi, subrisi; sciebam quippe fore superfluum, licet necessarium videatur. Quapropter hujus bibliothecæ lectorem monco, ut mea temere corrigere nichil audeat, sicubi ab his exemplaribus discrepat que et scriptorum vicio depravata et de inemendatis inemendatiora sunt edita. Nec hoc dico ut de mea studiositate confisus ea[m] asseram per omnia veritosam, sed quod magnæ presumcionis sit, si ad nostri arbitrii conjecturam libros presertim canonicos estimaverimus corrigendos. Quod ego pro posse vitans, cum instancia dominæ meæ Constanciæ, cui vivere Christus fuit et mori lucrum[5], et ex ejus sumptibus bibliothecam hanc scribere decrevissem, pro veracibus exemplaribus non modicum laboravi. Plura itaque lustrans armaria nequibam hoc adipisci, quia et que a doctis viris dicebantur correcta, unoquoque in suo sensu abundante, adeo discordabant ut pene quot codices tot exemplaria reperirem. Diu denique

1. Fol. 141.
2. II Sam. v, 23.
3. Hanc sententiam omittunt codd. meliores, habent vulgares.
4. Scil. ib., v. 19.
5. Phil. I, 21.

hesitans, hac deliberacione contentus sum ut (fol. 141 v°), sicubi exemplariorum numerositas discordaret, hic (*lege* his) potius crederem, eciam si fore contingeret pauciora, que cum bibliothecis hebraicis concordarent, veras eorum assertiones arbitrans quibus magistra veritas testimonium perhiberet. Quod utique faciens idcirco dissertores hebraicos suspectos nequaquam habui, quia videlicet in aliquo michi non fuit eorum dissertio necessaria quod judaicam manifeste perfidiam inpugnaret, cujus nimirum gratia et veritatem occultare et litteram depravare dicuntur. Sciendum ergo est esse quedam in latinis codicibus que non habent Hebrei, ut est illud in Genesi : ***Dixit Cain ad Abel fratrem suum*** [1]. Quod sequitur : ***egrediamur foras,*** in hebraico non habetur [2]. Sic et alia plurima: que quidem sive Jeronimus in aliis reperta translacionibus in sua eciam concxuerit, sive ab alio, usu pristino prevalente, postmodum conexa sint, nesciens, quia nec unum volumen ubi non habeantur potui reperire, ne non tam depravata corrigere quam nova condere volumina denotarer, subtrahere non presumpsi. Nam et in his tantummodo hebraicos codices michi censui consulendos, in quibus nostri aperte sibi invicem dissonarent; et quem contingeret de nostrorum innumera multitudine concordem his inveniri, hunc antiquorum exemplariorum puritatem servare, corruptos autem alios judicavi, quia et in corrupcionibus fere singulis que fuerit corrupcionis occasio deprehendi. Hoc ergo modo studui in quantum potui superflua resecare, transformata reformare et ea readdere que a presumptoribus tanquam superflua fuerant amputata [3]. Tribus enim modis solent exemplaria depravari, apponendo, commutando et subtrahendo.....

Quibus auxiliis usus sit in fine præfationis his verbis indicat Nicolaus:

Hec [4] tamen causa tibi, karissime, cujus in Scripturis laudabile sum expertus ingenium, quam mei similibus studui promulgare, commonens eos pariter et adjurans ut, si quos libros transscripserint, cum emendatis exemplaribus eos conferant et emeudent, nec tam pulcros velint habere codices quam veraces. His eciam conatus sum primo quidem catalogum [5] canonicorum ordinare voluminum, deinde nonnullis eorum difficultatibus, nunc beati Jeronimi vel aliorum patrum, nunc Hebrei quo dissertore utor, [ope] historicum solummodo intellectum breviter summatimque perstringere et queque corruptibilia consignare....

Hieronymi *Quæstiones hebraicas in Genesim* et auctoris, de quo disseruimus, *Quæstiones hebraicas in libros Regum* semper in consilium adducit Nicolaus noster, et ita vestigiis eorum insistit ut sensum hebraicæ veritatis exprimere studeat, et multa quidem nec inutilia quæ apud eum inveniuntur ad utrumque auctorem redeunt. Sed multa etiam apud eum reperies quæ genuinam ipsorum Hebræorum traditionem redolent, inter quæ hæc afferre libet:

---

1. Gen. iv, 8.
2. Hæc verba, quæ in textu masoretico desiderantur, tuentur testes gravissimi et iidem antiquissimi.
3. Codex : *aut putata.*
4. Fol. 144.
5. Codex : *catologum.*

GEN. III, 15 [1] : Tradunt Hebrei Reseph demonis esse nomen qui principatum teneat inter alios et propter nimiam velocitatem eciam volatile nuncupetur, ipsumque esse qui in paradiso sub figura serpentis sit mulieri locutus, et ex maledictione qua a Deo condemnatus est accepisse [2] nomen, siquidem de *reseph reptans* venire interpretatur [3].

IV, 18-23 : Lamech... septimus ab Adam occidit Cain, et ut Hebrei tradunt adolescentulum quem secum ducebat, vel quia ejus ortatu homicidium fecerat vel ut res occultaretur [4].

XI, 29 : Nomen sororis Abraham Sarai; hæc est Iesca [5].

XXV, 1 : *Cethuram*. Hebrei suspicantur hanc esse Agar [6].

XLI, 45 : Tradunt Hebrei emptum ab hoc (Phutifar) Joseph ob nimiam pulcritudinem in turpe ministerium, et a domino virilibus ejus arefactis postea electum esse in pontificatum Elipoleos, et hujus filiam esse Ascenez uxorem Joseph [7].

XLIX, 10 : Tandiu [8] ergo regnabit donec veniat qui mittendus est, ut Hebrei prestolantur, Messias, ut nos probamus, Christus [9].

I REG. XXI, 6 : Tradunt Hebrei David de eis (scil. de panibus propositionis) non comedisse [10].

JER. VII, 32 : Ennon vel hominis nomen vel gratiæ. Tradunt Hebrei ex hoc appellatam Gehennam, quod scilicet omnis populus Judeorum ibi perierit [11].

Nihil dubium est, Hebræum illum, quo dissertore noster utebatur, satis amplam habuisse litterarum biblicarum notitiam, et solitum esse Talmudem et Midraschim in vicem excitare, ita ut vestigiis magni illius judaici exegetæ, Salomonis Isaacidæ, qui vulgo Raschi dicitur († 1105), insisteret. Sed de ipso Nicolao nobis disserendum est.

Vulgaris opinio est Nicolaum Manjacoriam eumdem esse atque Nicolaum Manjacutium, qui sub Alexandro Papa III ecclesiæ S. Johannis in Laterano canonicus regularis fuit. Is nonnulla ad temporum notationem et ad historiam ecclesiasticam spectantia parum acuto ingenio composuit [12]. Secundum Bessarionem [13] sub Lucio II vixit.

Vix autem credibile est nostrum medio XII sæculo floruisse. Vix enim est ut « dominam » Constantiam, de qua velut exstincta loquitur, aliam esse dicas quam Rogerii II Siciliæ regis filiam et Henrici VI imperatoris

---

1. Fol. 145 v°.
2. 1ª m. : *accepit*.
3. Hæc frustra in Hebræorum libris quæsieris.
4. Ex *Midrasch Tanhuma*, ad locum. Cf. etiam Obadiam Sforno. in commentario ad h. l. Porro adolescentulus ille Tubalcain fuisse apud rabbinos dicitur.
5. Ita Raschi.
6. Raschi : זי הגר
7. Ita Raschi, ex *Sotah*, 13.
8. Codex : *Candui*.
9. Raschi : מלך חמשיח, ex Onkeloso (משיחא).
10. Ita post Josephum patrem David Kimhi et Levi ben Gerson.
11. Hoc vix hebraicum est.
12. De Nicolao Manjacutio cf. De Rossi, *Inscr. chr.*, t. II, p. 222.
13. Cod. Vat. lat. 3526, fol. 14, cujus notitiam mecum communicavit H. Denifle. Apud Jaffé-Lœwenfeld invenitur sub Innocente II et Cœlestino II, a. 1142 et 1143, Nicolaus cardinalis diaconus (t. I, p. 841, et t. II, p. 1).

uxorem, quæ a. 1198, die 27 novembris, obiit. Bene ergo H. Denifle sensit nostrum circa sæculi XII finem scripsisse. *Cursum* qui dicitur rythmicum, in curia romana usurpari solitum, ad unguem sequitur (de quo vid. N. Valois, *Bibl. Ec. Ch.*, t. XLII, 1881). Sed nec illum cardinalem fuisse pro certo habeas, nam ecclesia S. Laurentii in Damaso tunc temporis non diaconi sed presbyteri titulus erat. Minus igitur recte Nicolaum nostrum, utpote tituli S. Damasi cardinalem, scrinio et bibliothecæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præfuisse opinati sunt scriptores fere universi, nam de his omnibus nihil omnino constat. At illud tenendum est, virum ecclesiasticum romanum, imperialis aulæ familiarem, exeunte sæculo XII hoc egisse ut Sacram Scripturam traditione hebraica duce et corrigeret et interpretaretur.

PARS SECUNDA

DE INTERPRETATIONIBUS NOMINUM HEBRAICORUM

CAPITULUM PRIMUM

DE INTERPRETATIONIBUS HEBRAICORUM NOMINUM HIERONYMIANIS ET DE GLOSSARIIS QUIBUSDAM VETUSTIORIBUS

De significatione eorum quæ in Sacra Scriptura leguntur nominum ex hebraicis radicibus eruenda solliciti fuerunt totius medii ævi homines, nulla tamen ætas in ejusmodi lucubrationibus magis laboravit quam tertium decimum a Christo nato sæculum. Sed cum major pars eorum quæ posterioris ævi hominibus de his rebus innotuerunt ad opera S. Hieronymi velut ad fontem primarium redeant, nobis de interpretationibus hieronymianis ante omnia paucis dicendum erit.

S. Hieronymi *de Interpretatione hebraicorum nominum* et *de Situ et nominibus locorum hebraicorum* libri onomasticon sacrum, et illud quidem maximi pretii, efficiunt; sed minor pars earum quæ in utroque opere adducuntur etymologiarum ad Hieronymum auctorem redeunt. Tractatus præsertim quem *de Interpretatione hebraicorum nominum* contexuit, mixtum opus et ex omnigenis elementis conglutinatum, nihil est nisi latina enarratio nonnullorum græcorum glossariorum quæ ad Philonem et ad Origenem referuntur. Ibi juxta lautissimas quasdam etymologias allegoriis insanissimis occurras. Haud æquus esset si quis Hieronymum summum virum ideo vituperaret, quod indoctis illis litteris favisset, nam et ipse non semel violentas, quibus hujusmodi libri scatent, interpretationes se respuere testatus est; sed in hoc minus videtur laudabilis, quod non potuit quin eas quas improbabat nugas ipse propagaret et posteris quasi imitandas commendaret. Sub Hieronymi enim nomine allegoriæ ridiculissimæ in scholis totius Occidentis invaluerunt, quas qui excuteret nemo inveniebatur. Ita evenit ut, cum S. Hieronymi liber magni adhuc sit apud viros doctos pretii, multæ tamen in eo reperiantur pessimæ interpretationes ubi græca vel latina vocabula ad hebraicos radices reducuntur, utputa *Adrumetina dividens sublimiter*, vel etymologia mystico qui dicitur sensui ita inservit, ut exempli gratia Ægyptum *tenebras*

vel tribulationem significare mille annis post Hieronymum nemine repugnante pro certo habitum sit.

Interpretationes hieronymianæ multis modis a primordiis medii ævi variatæ sunt, ita ut ex illis, novis quibusdam elementis adjectis, non semel quasi novum opus efficeretur. Taceo de omnigenis illis glossariis quorum thesaurum pernoscendæ veterum disciplinæ utilissimum non mediocri cura post Gustavi Lœwe labores G. Gœtz et G. Gundermann publici juris jam faciunt [1], tametsi in eis nonnulla reperiuntur, quæ ad notitiam hebraici sermonis apud christianos faciunt [2]. Sed ejusmodi glossas vix cum fructu in discrimen adduxeris, antequam absolutum sit Corpus glossariorum latinorum. Forsan et alia etiam invenientur glossaria hebraico-latina, vel etiam trilinguia, quæ quantum a vulgari glossariorum familia discrepant, tanto magis ad Hieronymum accedunt. Unum excitaverim, quem mecum communicavit H. Omont, vir in plurimis excellens. Glossarium dico quod in codice bibliothecæ Abrincatensis 107, sæc. XII, fol. 155 v° continetur, cujus etiam prima vocabula Turonis, in cod. 18, sæc. XII ineuntis, fol. 106 v°, sine titulo leguntur [3]. Quod sic incipit :

VERBA SECUNDUM PROPRIETATEM TRIUM LINGUARUM.

[As]er	μακαρυως [4]	beatus
Aadama [5]	γη	terra
Aram	υυηλος [6]	excelsus
Arbee	θεσσηρα [7]	quatuor
Afer	οχνους [8]	puluis
Asenech	καταπτομα	ruina

. . . . . .

Maxima vero pars earum glossarum, quibus constat glossarium Abrincatense, videlicet 113 ex 175, e S. Hieronymo petitæ sunt. Videtur tamen

1. *Corpus glossariorum latinorum*, vol. II-IV. Lipsiæ, 1888-1892. Adeas etiam G. Lœwe, *Prodromus corporis glossariorum latinorum*, Lipsiæ, 1876, et S. Berger, *De glossariis et compendiis exegeticis quibusdam medii ævi*, Parisiis 1879.

2. Vide ex. gr. cod. Vossianum Leidensem fol. 24 (Lœwe, p. 124). Hebraicas in glossario *Ibavus* interpolatas glossas collegit ex editione G.-F. Hildebrand H. Rœnsch in *Musei Rhenani* t. XXX, a. 1875, p. 449, sed illa minoris momenti sunt. De hebraicis glossariorum Amplonianorum Erfurtensium glossis, a Fr. Œhler editis, egit idem H. Rœnsch in *Musei* t. XXXI, a. 1876, p. 453. Cf. etiam G. Lœwe, p. IX, X cæt. Glossæ Amplonianæ pro maxima parte ex Hieronymo haustæ sunt.

3. Cod. Turonensis 18 idem ille est in quo habetur gemina libri Job interpretatio. Fol. 100 v° exstat alterum glossarium seu potius onomasticon biblicum, incipiens a verbis : *Adonai Domine. Adam homo terrenus. Abel justus. Arnon anathema. Ananias gratia dispersa. Azarias adjutor. Assennech temptationis datum...*

4. Tur. : μ[αχ]αριος.

5. Tur. : Adama.

6. Tur. : υψηλος.

7. Tur. : θησσηρα.

8. 1ª m. : οχνος

ille, qui S. Hieronymum compilavit, hebraici sermonis non prorsus ignarus fuisse. Nam et voces adducit nonnullas ex his quæ Hebræis tritissimæ sunt et quarum notitiam vix aliunde quam ex propriis studiis hausit, qualia sunt :

Ach	αδηλφως [1]	frater
Abbas	παθηρ	genitor [2]
Asur	πηπηδημηος	uinctus
Amath	αληθηια	ueritas
Aar	ληων	lec [3]
Ad	δωχα [4]	gloria
As	βηλα	sagitta
Amona	πυσθυς	fides
Batu [5]	παρθηνιως	uirgo
Ben uel bar	υιως	filius
Bachor	πρωθωθωκως	primogenitus
Bethen	γασθηρ	uenter
Carm	ανπηλως [6]	uinea
Cor [7]	γηνηα	generatio
Hel	θηως	deus
Em	μηγηρ	mater
Ezer	βωηθως	adiutor
En	χαρυς [8]	gratia
Ey [9]	πυρ	ignis
Ebarc [10]	ασθραπα	fulgur
Enner [11]	λυχνω	lucerna
Faz	χρυσιων	aurum
Gez [12]	σχυς	fortitudo
Is	ανηρ	uir
Labna		candor
Le	πρως	ad
Man	θυς	quis
Maroth	σπηληων	spelunca
Nafes	συκη	anima
Neman	πυσθως	fidelis
Olo	σκημωνα	tabernaculum
Rob	δυδασκαλως	magister

1. Tur. : αθηλφος.
2. Tur. : πατηρ pater.
3. Sic pro *leo*. Tur. : Ar ληον leo.
4. Tur. : δοξα.
5. Sic pro *Betula*.
6. 1ª m. : ανθηλως.
7. Lege *Dor*.
8. 1ª m. : χαρυρ.
9. Sic forsan pro *Ez*.
10. Sic pro *Barec*.
11. Sic pro *Ner*.
12. Hebr. : עז.

Sephæra uel Sepharim	βυβλως	liber
Tob	αγαθως	bonus
Zo	αυθως	ipse

Hoc quasi corpus est eorum vocabulorum, quæ nec tironi nescire licet. Quocirca glossarii nostri trilinguis auctorem inter sciolos, non tamen inter inscios numerandum esse fatebimur.

CAPITULUM II

DE INTERPRETATIONIBUS NOMINUM SACRÆ SCRIPTURÆ PARISIENSIBUS

Peculiare quoddam interpretationum genus exhibent inde a sæculo XIII fere omnes Sacræ Scripturæ codices. Quæ cum vix alibi quam in ea quæ Ludovico IV rege evulgata est editione Sacrorum Bibliorum parisiensi inveniantur, reputandæ erunt ejusdem esse originis et ab universitate parisiensi principium repetere. Ab his vero verbis incipiunt[1] :

INCIPIUNT INTERPRETATIONES.

Aaz apprehendens uel apprehensio.
Aad testificans uel testimonium.
Aadhar deprecatio.
Aalma uirgo abscondita uel absconsio uirginitatis.
Aara montana uel mons fortitudinis.
Aaron mons fortis uel mons fortitudinis siue montanus.
Aronite montes robusti montium fortitudinis siue montani aut montes eorum.

Nostræ autem interpretationes nihil aliud sunt quam S. Hieronymi etymologiæ, quæ prius inter singulos Sacræ Scripturæ libros quasi dissecabantur, secundum alphabetum in unum corpus redactæ, additis glossis nonnullis ex libris *de Locis sanctis* et *de Quæstionibus hebraicis in Genesim,* nec non e *Quæstionibus in libros Regum* pseudohieronymianis, et aliis etiam de quibus infra dicetur. Quod tamen ita tumultuarie factum est, ut si quæ improbationis notæ a sancto patre additæ essent, eæ perpetuo omitterentur, nec etiam hoc a scriptore nostro ageretur, ut, si quæ glossæ iterarentur vel si quando una ab altera discreparet, menda illa tolleret.

Immo ne hoc quidem curavit, ut ordo alphabeticus integer servaretur, unde fit ut sæpe difficili indagatione verbum quod quæris invenias. Videtur noster ea levitate exemplar hieronymianum descripsisse, ut illud neque bene intelligeret neque etiam bene legeret. In uno tamen videtur laudandus, quod ordinem alphabeticum, ipsius Hieronymi sententiam secutus, secundum proprietatem linguæ hebraicæ immutavit, cum ita ab ordine Latinorum studuerit deflectere, ut litteras *f* et *ph* confunderet, neque adspirationis *h* rationem haberet. Cæterum dissertatiunculas quasdam de lit-

1. Ita codex B. N. 36, fol. 330, de quo infra agetur.

teris alphabeti, a S. Hieronymo petitas, schedis suis opportunis locis inseruit. Virtutem etiam litteræ ע bene perspectam habere videtur, e. gr. in verbo *Gomora*[1]:

Et sciendum quod hoc nomen in hebraico non habet .g. litteram, set scribitur per uocalem *aym* et dicitur *Agmora*.

Hæc majorem partem e S. Hieronymo petita sunt, sed verba : *et dicitur Agmora* noster de suo addidit, unde pronuntiationis hebraicæ linguæ non inscius fuisse reputandus est. Videtur glossographus noster de suffixis, ut dicimus, Hebræorum, de iis præcipue quibus pronomina indicantur, aliquam habere notitiam et pluralis numeri terminationem bene novit. Præterea si quæras quid de suo illis glossis addiderit, quas ex diversis S. Hieronymi operibus desumpsit, illud tibi apparebit, fere dimidium totius operis ad alium fontem redire. Nam in illis, quæ ab Hieronymo aliena sunt, eædem hebraicæ radices iisdem latinis vocibus perpetuo declarantur, ita ut glossatorem nostrum credas tabulam quamdam radicum hebraicarum manibus tenuisse, ei non absimilem, quam in glossario Abrincatensi reperimus. Sed hæc omnia non ita, ut fecit, retractare potuisset, nisi non tantum alphabeti hebraici, sed etiam grammaticæ aliquam adeptus esset notitiam. Porro tenuior illa, quam dicimus, linguæ hebraicæ scientia in homine Parisiensi sæculi XIII quin reperiri potuerit, nihil obstat. Nos autem, quo tempore Interpretationes nostræ parisienses in lucem editæ sint, nunc quæramus.

Exstat in uno codice parisiensi 36, fol. 355 r°, col. 2ª, post easdem de quibus nobis quæstio est interpretationes, libellus quidam qui nemini, præter eum quem nihil fugit L. Delisle, curæ fuit. Qui mirum in modum cum interpretationibus nostris congruit, neque aliud est quam tractatus de pronuntiatione hebraicæ linguæ. Auctor vero in ipso principio lucubrationis suæ se ipsum Interpretationes quasdam nominum hebraicorum edidisse profitetur, ut ex sequentibus apparet:

PROLOGUS SUPER INTERPRETATIONIBUS.

Miserante Domino hebraice litterature aliquantam adepti notitiam et per hec ueritatem Scripturarum et significationem dictionum certius cognoscentes, hebraicorum nominum interpretationes ad suum fontem reducere preoptamus.....

Tum ad eadem exprimenda procedit quæ in Interpretationibus parisiensibus probe notavimus :

Quia apud Hebreos diuersitatem significationum in eisdem sonis ac uocibus sepe facit diuersitas figurarum. Nempe in ydiomate hebraico plures sunt littere que cum ad latinam pronunciationem transeunt idem sonant, set per hoc sue

1. Ex cod. B. N. 36. Vide etiam dissertatiunculas de littera *p*, de duplici adspiratione *heth*, de tribus characteribus hebraicis litteræ latinæ *s*, *samech*, *sin* vel *sen* et *sade*, item in verbis *Gatha* et *Raab*.

proprietatem significationis non mutant. Uerbi gratia *aleph ayn he heth* in latino sermone sepe *a* uel *e* uel aliam uocalium resonabunt... Item *syn sade samec* et alie nonnulle littere in latina pronunciatione consonant... Quod ut clarius peruideas necessaria est tibi hebrei noticia alfabeti... Hic ergo tibi lector hebraicum depingimus alfabetum :

aleph.	beth.	gimel.	daleth.	he.	uau.	zaym.	heth.	teth.	ioth.	caph.
.א.	.ב.	.ג.	.ד.	.ה.	.ו.	.ז.	.ח.	.ט.	.י.	.כך.
lamed.	men.	nun.	samech.	ayn.	phe.	sade.	coph.	res.	syn.	tau.
.ל.	.מם.	.נן.	.ס.	.ע.	.פף.	.צץ.	.ק.	.ר.	.ש.	.ת.

Deinde ad vim vocalium explicandam pergit :

In hoc plane alfabeto in hiis litteris preter *uau* et *ioth* nulla uocalis est, set omnes recte mutas dixerim et elingues, eo quod per se uocem non habeant, nec per se sonum faciant in scripturis. Beneficio tamen alieno loquelam recipiunt, et



Codex Bibl. Nat. lat. 36, fol. 355.

additione quorumdam punctorum et uirgularum que ex institutione primeua uocalium uicem tenent in uoces ac sonos exeunt... Hic ergo tibi uocales per puncta et uirgulas monstramus :

a.	a.	e.	e.	i.	o.	o.	u.	en[3].	en.	en.
⊤[1]	‾	··	∵	·	⊤[2]		⁝	:	∵	‾:

Sequuntur pauca quædam de grammatica :

Dictiones incipientes per *men* multis in locis composite accipi queunt simul ac simplices, et aliquando ibi facit *men* ad significationis augmentum, aliquando uero quasi sillabica adiectio est. De dictionibus quoque incipientibus ab *aleph. ioth. nun. tau. he* ut idem sencias admonemus. Item dictiones terminate in *am.*

1. Punctum sub virgula.
2. Puncta duo sub virgula.
3. Videtur noster ad *en* in 3ª pers. plur. alludere (*savent, parlent*). Conferas etiam cum his ea quæ leguntur in præfatione *Extractionum de Talmut* (B. N. lat. 16558, fol. 2 v°) de *seva,* quod « inter *e* et *en* medium habet sonum sicut in gallico ».

an. en. em. on. si alicubi simplices aut compositas inueneris non mireris.... Item dictiones terminate in *ym* pluralis numeri et generis masculini esse non dubitantur, que uero in *oth,* pluralis itidem numeri et generis feminini. Inueniuntur tamen utriusque terminacionis alique dictiones in numero singulari. De ceteris autem terminacionibus cum neque beatus Ieronimus inde aliquid dixerit, nos non possumus certas regulas assignare....

Iterum ad pronuntiationem revertitur :

Nunc autem quomodo legere quis ualeat hebraycum sine doctore et ex magna parte intelligere intendimus edocere. Sciendum igitur inprimis quod *aleph* littera non magis sonat *a* uocalem quam *e* uel aliam quamlibet uocalem, set per appositionem punctorum uel uirgularum que premissa sunt reddit sonum... *Beth* uero si habeat punctum paruulum intra se positum hoc modo : בּ, ualet idem quod ualet *b* apud latinos; si autem punctum paruulum intus non fuerit sed paruula uirgula desuper extensa iacuerit hoc modo : בֿ[1], ualet idem quod ualet *u* quando in locum ponitur consonantis... *Gymel* uero loco *g* ponitur, ita quod si illa puncta que ualent *i* uel *e* uel *en* sequantur, sic sonat cum eis quomodo sonat *g* cum *i* uel *e* sequente *u* interposita aliqua latina dictione[2]... *Daleth* uero si habeat punctum paruulum intra se positum hoc modo : דּ, idem ualet quod *d;* si autem punctum paruulum non fuerit intra positum sed paruula uirgula desuper extensa iacuerit hoc modo : דֿ, idem ualet quod ualet *z*. *He* uero idem ualet quod *h,* ita tamen quod semper aspiratur. *Uau* uero si habeat punctum paruulum intra se positum hoc modo : וּ, idem ualet [quod ualet] *u*[3] loco posita consonantis. Quod si punctum paruulum non fuerit intra positum set paruula uirgula desuper extensa iacuerit hoc modo : וֹ, idem ualet quod *u* uocalis. *Zaym* uero idem ualet quod *z*. *Heth* autem duplicem habet aspirationem, unde et LXX[a] interpretes quia in greco non inuenerunt aliquam litteram que duplicem haberet aspirationem pro *heth* hebreo *chy* grecum ponere consueuerunt, sicut *cham* pro *ham, choreb* pro *horeb*... *Theth* pro *t* semper ponitur, ita tamen quod sic semper stringitur in fine dictionis sicut *t* quando ponitur in fine harum dictionum *tot* uel *quot*. *Ioth* uero si punctum paruulum habeat hoc modo : יִ[4], idem ualet [quod ualet] *i* loco posita consonantis; si autem punctum intus non fuerit set paruula uirgula desuper extensa iacuerit hoc modo : יֹ, idem ualet quod *i* uocalis. *Chaph* uero duplex est littera, unde et prima non nisi in principio dictionis uel inter reliquas litteras eiusdem dictionis, secunda autem ultima in fine dictionis debet poni. Quod si [habeat] punctum paruulum intra se hoc modo : כּ ך, idem ualet quod ualet *k* apud latinos. Quod si punctum paruulum intus non fuerit set paruula uirgula desuper extensa fuerit hoc modo : כֿ ךֿ, ualet idem quod [ualet] *heth* hebreum quod de gutture cum magno impulsu aspiratur, sicut cum aliquis[5] sputum de gutture emittit. *Lamed* idem ualet quod *l*. *Men* duplex est littera, prima in principio dic-

1. Ea vero virgula eadem est quam *raphe* Hebræi vocitant.
2. Quod depravatum esse videtur.
3. Pronuntia : *v*.
4. Videtur punctum supra lineam esse.
5. Codex : *cum aliquis cum in aliqua.*

tionis uel inter reliquas litteras dictionis, secunda uero ultima in fine dictionis debet scribi et ualet et sonat idem quod *m* apud latinos. *Nun* etiam duplex est littera, prima in principio dictionis uel inter litteras dictionis, secunda in fine dictionis ultima habet poni, et ualet et sonat idem quod *n* apud latinos. *Samech* uero sic uirgulis cum uocalibus uel punctis uocalium uicem tenentibus cum *ioth* et *uau* uocalium loco positis iungitur et sonat sicut *c. e.* uel *i* nulla littera interposita sequentibus iungitur et sonat in latina dictione, nam in fine dictionis hebrayce posita flectitur et liquescit sicut *d* in fine latine dictionis. De *ayn* uero idem dicimus quod dicimus de *aleph* excepto quod modice amplius sonat de gutture cum magno impulsu. *Phe* autem duplex est littera, prima in principio dictionis uel inter alias litteras dictionis, secunda uero in fine dictionis debet poni. Quod si habuerit punctum paruulum intra se positum hoc modo : ף, idem ualet et sonat quod *p;* si autem non habuerit intra se sed paruulam uirgulam desuper iacentem hoc modo : ף, idem ualet et sonat quod *f.* Item *sade* duplex est littera. Prima in principio dictionis uel inter alias litteras dictionis, secunda uero in fine dictionis ultima poni consueuit, et quod dicimus de *samech* dicimus per omnia de istis. *Coph* uero per omnia sicut *k* apud latinos se habet. *Res* idem ualet et sonat quod *r* apud latinos. *Sym* uero si habeat punctum paruulum in dextera parte hoc modo : שׁ, idem ualet et sonat quod *s* apud latinos. Quod si in sinistra parte hoc modo : שׂ, idem ualet et sonat quod *sady* et *samech*. *Tau* uero si punctum paruulum intra se habuerit hoc modo : ת, idem ualet et sonat quod *t* apud latinos; si autem punctum non habuerit intra se positum set uirgulam paruulam desuper iacentem hoc modo : ת, ualet et sonat idem quod *sady* uel *samech*. Sunt et alia quedam, pauca tamen, que dicenda essent, set latinis uerbis exprimi non possunt.... Et sciendum quod, quia uocalem illam que sonat *en*[1] apud hebreos et est finalis littera harum gallicarum dictionum *sire* uel *dame* et similium, sicut iam [diximus], in latinis litteris inuenire non ualuimus, hanc formam † scilicet signum nostre salutis loco illius uocalis in latinis dictionibus ponere decernimus[2].

Quia Domino miserante et scripturam hebraycam que a dextera parte in sinistram ab antiquo scribi consueuit uersa uice e contrario et in contrarium a sinistra in dexteram scribere cepimus, scientes pro certo sicut a nominatissimis eorum magistris accepimus quia infra septem ab anno presenti qui est ab incarnatione Uerbi .m. cc. xxxiiij.[3] plurimi eorum et maximi ad fidem nostram conuertentur nisi infra predictum terminum [aduenerit] Messyas quem tamdiu frustra expectauerunt eo quod signa sua non uiderunt sed penitus omnia defecerunt et iam non inter eos a multis retro temporibus propheta [surrexit].

Ipse vero auctor aliud propositum secutum esse se fatetur, nempe ut

---

1. Vide p. 22, n. 3.

2. Quantum intersit inter pronuntiationem hebraicæ linguæ apud Gallos et apud Germanos, ex libro Henrici de Hassia († 1397) *de ydiomate hebraico* colligere licebit, ubi ea sunt nomina litterarum alphabeti : *Alef bes gimel dales he uau zayn ches tes iod chaf lamed mem nun samech ayn fe czadi cof res schin thau* (Codex Erfurtensis Amplonianus Q. 125, sæc. xv, fol. 254. Hunc nobis notum fecit R. P. Denifle).

3. Numerus anni 1234, additis 7, efficit annum 1241, qui Hebræis annus a creatione mundi 5000 reputatur.

quasi quoddam correctorium nominum hebraicorum Sacræ Scripturæ concinnaret :

Proposuimus, si Dominus dederit et uita comes fuerit, de singulis libris diuine Scripture singula nomina cum capitulis subiunctis ponere et secundum hebraycam ueritatem pro posse nostro donante Domino emendare.

Nulli ergo dubitamus quin Interpretationum parisiensium et prologi nostri unus et idem fuerit auctor. Proinde utrumque opus ad id maxime facit ut nobis demonstret quæ floruerint in universitate parisiensi ineunte regno Ludovici IX studia hebraica.

Interpretationes tam hieronymianæ quam parisienses multis modis variatæ sunt, sed cum a varietatibus illis studium disciplinæ hebraicæ prorsus abfuerit, nos in minusculis illis non immorabimur. Illud tamen notabimus, nomen Remigii Altissiodorensis († c. 908), quod nonnullis codicibus interpretationum parisiensium imponitur, merum referre somnium.

PARS TERTIA

DE SCHOLA ROGERI BACONIS

CAPITULUM PRIMUM

DE CORRECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ REGNANTE LUDOVICO IX PARISIIS IN ORDINE PRÆDICATORUM INSTITUTA

Cum universitas parisiensis ineunte sæculo XIII constituta esset, expostulabat ipsa studiorum ratio ut legentibus et audientibus quasi scholastici libri præberentur, ad quos velut ad auctoritatem provocari posset. Sed ea erat illis temporibus librorum sacrorum diversitas ut, quemadmodum ætate Hieronymi, pæne tot exemplaria quot codices adesse diceres. Neque de ipso textu sacro satis constabat, neque de ordine librorum divinæ legis, neque de iis in quæ ipsi libri dividebantur capitulis. Cum omnia ita mixta essent, hoc universitati curæ esse debebat, ut exemplar unum institueretur, quo veluti documento docentes simul et studentes niterentur. Sed hoc neque universitas ipsa publice excudere poterat, neque unquam decreto sanctum est ut nova editio ab omnibus usurparetur.

A Rogero Bacone, anno 1267 scribente, audimus a quibus editio sacrorum Bibliorum parisiensis concinnata sit :

> Nam circa quadraginta annos multi theologi infiniti et stationarii Parisius parum videntes hoc proposuerunt exemplar. Qui cum illitterati fuerint et uxorati, non curantes nec scientes cogitare de veritate textus sacri, proposuerunt exemplaria vitiosa, et scriptores infiniti addiderunt ad corruptionem multas mutationes [1].

Innuit ergo Rogerus editionem parisiensem circa initia regni Ludovici IX institutam esse, neque infitiabimur. Nam antiquissimum eorum quorum notitiam habemus exemplariorum quibus hodierni capitulorum numeri inscribuntur notam fert anni 1231 [2], et probe novimus Stephanum Langton, cancellarium parisiensem et eumdem postea archiepiscopum cantuarien-

---

1. *Compendium Studii,* ed. J. S. Brever, p. 333. Eadem leguntur in epistola ad Clementem papam IV, ap. H. Hody, p. 421.
2. Codex Bibl. Mazar. 29 (nunc 5), Cantuariæ scriptus.

sem, novam capitulorum divisionem excogitavisse. Non tamen asserere audemus illam quæ procurantibus universitatis assecla vulgata est sacrorum Bibliorum editionem ex librariorum parisiensium scriptoriis statim quasi instructam et munitam exiisse. Cum enim compertum habeamus eas quæ cum editione parisiensi faciunt interpretationes anno demum 1234 in corpus redactas esse, et cum noverimus leve discrimen esse inter textum qui ab universitate dicitur et eum qui ineunte sæculo XIII Parisiis circumferebatur, editionem nostram conjiciemus paulatim ex prioribus excrevisse, sed paulo post annum 1234 eam quam multis sæculis tenuit formam obtinuisse.

De textu parisiensi et de correctionibus ejus audiendus Baco :

Nam textus est pro majori parte corruptus horribiliter in exemplari vulgato, hoc est parisiensi. Et ubi non habet corruptionem, habet tamen dubitationem... et hæc dubitatio nascitur ex contentione correctorum, qui quot sunt lectores per mundum, tot sunt correctores, seu magis corruptores. . Nam quilibet lector in ordine minorum corrigit ut vult, et similiter apud prædicatores, et eodem modo sæculares, et quilibet mutat quod non intelligit : quod non licet in libris poetarum Sed prædicatores maxime intromiserunt se de hac correctione, et jam sunt XX anni et plures, quod præsumpserunt facere suam correctionem, et redegerunt eam in scriptis. Sed postea fecerunt aliam ad reprobationem illius, et modo vacillant plus quam alii, nescientes ubi sint [1]...

Idem, in *Opere majori :*

Unde cum ad duodecim annos prædicatores redegerunt correctionem in Scripturis, jam venerunt alii et novam ordinaverunt correctionem, quæ continet plus medietate unius bibliæ, et quia vident se errasse in antiqua correctione, jam fecerunt statuta quod nullus ei adhæreat [2].

Quæ omnia ut melius perspiciamus, ad Acta capitulorum generalium ordinis prædicatorum nobis recurrendum est, ubi in actis capituli generalis a. 1236, c. 34, hæc leguntur :

Item volumus et mandamus ut secundum correctionem quam faciunt fratres quibus hoc injungitur in provincia, aliæ bibliæ ordinis corrigantur et purgentur.

Et rursus in actis capituli generalis a. 1256, c. 23 :

Item correctionem bibliothecæ senonensem non approbamus, nec volumus quod fratres innitantur illi correctioni [3].

Ex his omnibus illud colligere licet, primam correctionem anno 1236 institutam esse, et eosdem fratres prædicatores circa annum 1256 secun-

1. *Ep. ad Clementem IV.* Hody, p. 420-129. Idem iisdem verbis in *Opere tertio*, p. 93.
2. *Opus majus*, ed. Jebb. p. 19.
3. Martène et Durand, *Thesaurus novus*, t. IV. p. 1675 et 1715; Denifle. p. 284.

PARS TERTIA

DE SCHOLA ROGERI BACONIS

CAPITULUM PRIMUM

DE CORRECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ REGNANTE LUDOVICO IX PARISIIS IN ORDINE PRÆDICATORUM INSTITUTA

Cum universitas parisiensis ineunte sæculo XIII constituta esset, expostulabat ipsa studiorum ratio ut legentibus et audientibus quasi scholastici libri præberentur, ad quos velut ad auctoritatem provocari posset. Sed ea erat illis temporibus librorum sacrorum diversitas ut, quemadmodum ætate Hieronymi, pæne tot exemplaria quot codices adesse diceres. Neque de ipso textu sacro satis constabat, neque de ordine librorum divinæ legis, neque de iis in quæ ipsi libri dividebantur capitulis. Cum omnia ita mixta essent, hoc universitati curæ esse debebat, ut exemplar unum institueretur, quo veluti documento docentes simul et studentes niterentur. Sed hoc neque universitas ipsa publice excudere poterat, neque unquam decreto sanctum est ut nova editio ab omnibus usurparetur.

A Rogero Bacone, anno 1267 scribente, audimus a quibus editio sacrorum Bibliorum parisiensis concinnata sit :

> Nam circa quadraginta annos multi theologi infiniti et stationarii Parisius parum videntes hoc proposuerunt exemplar. Qui cum illitterati fuerint et uxorati, non curantes nec scientes cogitare de veritate textus sacri, proposuerunt exemplaria vitiosa, et scriptores infiniti addiderunt ad corruptionem multas mutationes [1].

Innuit ergo Rogerus editionem parisiensem circa initia regni Ludovici IX institutam esse, neque infitiabimur. Nam antiquissimum eorum quorum notitiam habemus exemplariorum quibus hodierni capitulorum numeri inscribuntur notam fert anni 1231 [2], et probe novimus Stephanum Langton, cancellarium parisiensem et eumdem postea archiepiscopum cantuarien-

---

1. *Compendium Studii,* ed. J. S. Brewer, p. 333. Eadem leguntur in epistola ad Clementem papam IV, ap. H. Hody, p. 421.
2. Codex Bibl. Mazar. 29 (nunc 5), Cantuariæ scriptus.

sem, novam capitulorum divisionem excogitavisse. Non tamen asserere audemus illam quæ procurantibus universitatis asseclis evulgata est sacrorum Bibliorum editionem ex librariorum parisiensium scriptoriis statim quasi instructam et munitam exiisse. Cum enim compertum habeamus eas quæ cum editione parisiensi faciunt interpretationes anno demum 1234 in corpus redactas esse, et cum noverimus leve discrimen esse inter textum qui ab universitate dicitur et eum qui ineunte sæculo XIII Parisiis circumferebatur, editionem nostram conjiciemus paulatim ex prioribus excrevisse, sed paulo post annum 1234 eam quam multis sæculis tenuit formam obtinuisse.

De textu parisiensi et de correctionibus ejus audiendus Baco :

Nam textus est pro majori parte corruptus horribiliter in exemplari vulgato, hoc est parisiensi. Et ubi non habet corruptionem, habet tamen dubitationem... et hæc dubitatio nascitur ex contentione correctorum, qui quot sunt lectores per mundum, tot sunt correctores, seu magis corruptores... Nam quilibet lector in ordine minorum corrigit ut vult, et similiter apud prædicatores, et eodem modo sæculares, et quilibet mutat quod non intelligit; quod non licet in libris poetarum. Sed prædicatores maxime intromiserunt se de hac correctione, et jam sunt XX anni et plures, quod præsumpserunt facere suam correctionem, et redegerunt eam in scriptis. Sed postea fecerunt aliam ad reprobationem illius, et modo vacillant plus quam alii, nescientes ubi sint[1]...

Idem, in *Opere majori :*

Unde cum ad duodecim annos prædicatores redegerunt correctionem in Scripturis, jam venerunt alii et novam ordinaverunt correctionem, quæ continet plus medietate unius bibliæ, et quia vident se errasse in antiqua correctione, jam fecerunt statuta quod nullus ei adhæreat[2].

Quæ omnia ut melius perspiciamus, ad Acta capitulorum generalium ordinis prædicatorum nobis recurrendum est, ubi in actis capituli generalis a. 1236, c. 34, hæc leguntur :

Item volumus et mandamus ut secundum correctionem quam faciunt fratres quibus hoc injungitur in provincia, aliæ bibliæ ordinis corrigantur et purgentur.

Et rursus in actis capituli generalis a. 1256, c. 23 :

Item correctionem bibliothecæ senonensem non approbamus, nec volumus quod fratres innitantur illi correctioni[3].

Ex his omnibus illud colligere licet, primam correctionem anno 1236 institutam esse, et eosdem fratres prædicatores circa annum 1256 secun-

1. *Ep. ad Clementem IV.* Hody, p. 420-429. Idem iisdem verbis in *Opere tertio,* p. 93.
2. *Opus majus,* ed. Jebb. p. 49.
3. Martène et Durand, *Thesaurus novus,* t. IV, p. 1675 et 1715; Denifle, p. 284.

dam quamdam correctionem sacri textus textui senonensi substituisse. Forsan inter utramque correctionem, circa annum 1248, si Rogero Baconi fides adhibenda est, mediam quamdam excogitaverunt dominicani. Nec ille prædicatoribus corrigendi finis fuit. Sed cum harum rerum historiam, post nostros imperfectos labores, scribere aggressus sit H. Denifle, nobis satis erit si summa secuti erimus rerum fastigia. Correctionem senonensem, jamdiu deperditam, parum ab eo textu distare auguramur, quem habet codex B. N. 17, sæc. XIII. Correctorium aliud, quod ***sorbonicum*** ea de causa audit, quia in uno codice sorbonico, B. N. 15554, fol. 147 sqq. continetur, non alius esse auctoris rati sumus quam fratris cujusdam minoris nomine Guillelmi Britonis, qui nobis opuscula nonnulla de Sacra Scriptura tradidit, quæ sæpe in ipsissimis phrasibus cum correctorio sorbonico concordant. Porro correctorium sorbonicum hoc habet peculiare, quod nihil aliud est nisi præcipuarum lectionum e prioribus correctionibus delectus (de senonensi et de parisiensi utraque dico), ita ut ex eo, ut dicimus, quasi quædam editio variorum efficiatur. Sed cum hæc omnia ad elucidandam hebraicam veritatem videantur perpaucum emolumenti attulisse, nos ad alios labores properabimus, et a correctorio Hugonis de S. Caro, illustris illius ordinis S. Dominici doctoris[1], exordium sumemus, cujus præfatio, quid sibi velit auctor, demonstrabit[2]:

Quoniam super omnes scripturas uerba sacri eloquii necessé est ut fundamento ueritatis firmiter innitantur, quatinus super textum littere certioris sanctorum studiorum edificia securius conponantur, quantum in breui potuimus ex glosis beati Ieronimi et aliorum doctorum et ex libris Hebreorum et antiquissimis exemplaribus que etiam ante tempora Karoli magni scripta fuerunt, hic in breuissima notula scripsimus ea que ex nouis et diuersis bibliis propter uarias litteras magis dubia uel superflua credebamus. Sed non, ut dicit Ieronimus, sic noua cudimus ut uetera destruamus, sed magis uetera statuentes quedam noua uicio scriptorum in textu de glosis et postillis inserta uel etiam per quorundam imperitiam deprauata non nostra sed aliorum maiorum auctoritate resecanda monstramus...[3].

A principio autem libri se linguæ hebraicæ satis guarum demonstrat auctor:

GEN. I, 2[4], *et spiritus Domini*. Hebreus habet *uai ruha heloim*, id est ***et spiritus Dei***. Si esset in textu *spiritus Domini* hebreus haberet *ruha adonai*.

---

1. Hugo de S. Caro Parisiis apud S. Jacobum a. 1224 religionem professus est; annis 1227-1230 provincialis Franciæ erat, et eumdem locum tempore generalis capituli a. 1236 tenebat. A. 1244 cardinalis creatus est et a. 1263 in Urbe Vetere obiit.

2. Hugonis præfationem e cod. B. N. 3218 (s. XIII, ex monasterio S. Amandi), fol. 137, dabimus.

3. Hugonis correctorium exhibent inter cæteros quos apud H. Denifle videbis codd. B. N. 3218, Ars. 91 (s. XIII) et Vindobon. 1217 (a. 1434). Cæteros non vidimus. Codicem sequimur B. N. 3218, in iis tantum emendatum ubi corrigendi via perspicua est, et ubi cæteri codices nobis consentiunt.

4. Codex: GEN. I. f. Pro litteris quæ a concordantia Hugonis originem ducunt posuimus numeros versiculorum nostrorum.

II, 17 *morte moriemini*. Simachus *mortalis eris*. Hebreus *moriens morieris*.

IV, 16 *in terra profugus*. LXX *in terra Naid*. Hebreus *in terra Nod*, quod interpretatur *nutabis*, pro quo dicimus *profugus*. Hebreus tamen dicit quod Naid et Nod idem significant sed in apici differunt.

VI, 2 *filii Dei*. *Heloim* communis est numeri, quia et *deus* et *dii heloim* dicitur. Unde Aquila dixit *filii sanctorum* et Simachus *filii potentium*.

Ib., 10 *Cham*. Quidam hebrei habent *Ham*, unde et Egiptus lingua Egiptiorum dicitur *Ham*, sed LXX, non ualentes *heth* litteram que duplicem aspirationem sonat in grecum transferre, *chi* grecam litteram addiderunt ut ostenderent in huiusmodi aspirare debere.

JUD. XII, 6 *Dic ergo seboleth*. Quod sequitur : *quod interpretatur spica*, hebreus non habet. *Qui respondebat theboleth* [1]. Apud hebreos eadem est littera in principio dictionis, sed *seboleth* fortiter sonat *s*, sicut [apud] nos in principio dictionis uel sicut duplex *s* inter uocales. *Theboleth* uero pronuntiandum est tenuiter, sicut si scriberetur *ceboleth*, propter aspirationem. Aliter enim sonat *theth* aliter *tau* et ideo quidam pronunciant *Matheus* sicut *Maceus*. Talis modus loquendi in multis est qui *s* et *c* pro una littera sonant et *fassies* pro *facies* ; alii peius dicunt *fachies*. Tales cito periclitarentur cum Effratheis, sicut et illi qui dicunt *Lasarus* pro *Lazarus*.

PROV. XII, 11 *Qui suavis*, etc. Hunc uersum et multos ita in sequentibus detractos hebreus et antiqui non habent nec Beda exponit, et si que glose uideantur exponere, magis sunt postille quam glose.

XV, 28 *Mens justi meditabitur sapientiam* uel *obedientiam*. Hebreus habet *laanoth*.

XXX, 19 *et uiam uiri in adolescentula*. Hec est uera littera. Hebreus : *aalma*. Etiam non negant Hebrei quin *aalma* hic et in Ysaia significet uirginem... Non est autem in hebreo eadem sed diuersa ualde dictio pro *adolescentia* et pro *adolescentula*.

ES. VII, 14 *et uocabis nomen eius Emmanuel*. Hebreus Ieronimus Aimo et antiqui : *uocabis*... uel *uocabit*, scilicet ipsa uirgo, quia hebraice *carathi* [2] potest intelligi *uocabis* uel *uocabit*.

Hugonem correctorii nostri auctorem disertis verbis nominant codices, e. gr. Taurinensis I. V. 2 : *Prologus domini Hugonis tituli S. Sabinæ presbiteri cardinalis de correctione Biblie*. Idem codex in fine : *Explicit opus biblie secundum dominum Hugonem cardinalem* [3]. Sed ea quæ habemus correctoria ex *opere bibliæ* exscripta dicas. Quod corpus Scripturæ sacræ me Vindobonæ in cod. 1217 invenisse reor, qui, quamquam anno demum 1434 a fratre quodam bohemo scriptus est, fere omnes Hugonis correctiones in ipso textu adducit et a præfatione nostra incipit [4].

---

1. Videtur hic noster anglicizare, nisi forsan *tseboleth* pronuntiavit.
2. Codex : *carachi*.
3. Nominatur item Hugo in exemplari norimbergensi (*Literarisches Museum*, t. I, Altorf, 1778, p. 14). In fine codicis lipsiensis legitur : *Correctio biblie compilata cum summa diligentia a fratribus ordinis predicatorum* (*Acta erud.*, l. l.)
4. Fol. 192 v° legitur : *Finitus anno Domini* M° CCCC XXXIIII°, *quo etiam anno fratres sunt prostrati*. Quamvis codex noster fere in omnibus cum Hugone concordet, testis tamen est Hermæ pastor, qui inter psalmos et prophetas insertus est, et testis

Hugonis opus non uno modo retractaverunt fratres prædicatores, de correctione textus sacri sine intermissione solliciti [1]. Sed e talibus lucubrationibus illud præcipue opus crevit, quod in codicibus B. N. 16719-16722 servatur : de pulcherrimo Scripturæ sacræ exemplari dico, quod a conventu S. Jacobi parisiensis in Bibliothecam Nationalem transiit. Liber ille eximius, qui Ricardo Simoni « incomparabilis » dicebatur, ipsum esse videtur dominicanorum correctionis autographum exemplar.

Perseveraverunt enim aliquotiens in marginibus notulæ, ipsa correctoris manu scriptæ, quas librarius, postquam exscripserat, eradere omisit. Farraginem omnium, quorum opera illo tempore circumferebantur, scriptorum diligentissime excusserunt hujus nostræ editionis auctores, et codices antiquos, modernos, glossatos continuo adducunt, sed duabus potissimum auctoritatibus insistunt, quæ forsan in unum concurrunt, videlicet *correctionibus* quibusdam anonymis et *correctionibus fratris Theobaudi.* Hoc etiam nobis notandum, fere omnes, quæ hic ex fratre Theobaldo adducuntur, correctiones cum textu codicis B. N. 17 concordare, quem codicem ex collatione correctorii sorbonici novimus proxime ad correctionem senonensem accedere. Unde quis quærere possit, aliquane intercedat inter correctiones fratris Theobaldi et correctionem senonensem propinquitas. *Correctionem parisiensem secundam,* quæ in eodem correctorio sorbonensi sæpissime laudatur, nequaquam ab exemplari nostro differre profitebimur, quum *textum parisiensem priorem* in eo textu agnoscamus, qui in universitate parisiensi omnium primus evulgatus est.

Porro in ordine prædicatorum non defuerunt regnante Ludovico IX, qui sufficienter in lingua hebraica edocti essent. Eo nempe tempore ubi Parisiis agitabatur celebre illud inter christianos et Judæos de Talmude certamen, testis est ipse Rabbi Yehiel, talmudistarum antesignanus, multos clericos a Judæis hebraice didicisse, et novimus auctorem libri *Extractiones de Talmut,* qui post condemnatum anno 1248 Talmudem concinnatus est, a duobus christianis, in hebræo peritissimis, adjutum esse [2]. Quorum si unus aut alter ex ordine prædicatorum non fuisset, mira sane res esset. Et revera exstat in bibliotheca cæsarea Vindobonensi « fratris Theobaldi, ordinis prædicatorum, refutatio errorum Thalmud [3] ».

Quod opus forsan, judice H. Denifle [4], non differt ab *Extractionibus de Talmut* quæ in codd. nonnullis inveniuntur, inter quos laudandi cod.

æque IV liber Esdræ, testatur item nomen *Lirani,* quod in notula ad Luc. XXIII, 15, legitur, nonnulla operi Hugonis admixta esse. Nonnullis libris adscriptæ sunt concordantiæ.

1. Admonendus lector correctorium illud quod legitur in cod. Marciano cl. I, c. 50 (sæc. XIII ex.), fol. 121-350, pro magna parte ex correctorio nostro pendere, sed multa etiam in eo nova inveniri. Cujus auctor et ipse gallus fuit.

2. Is. Lœb, *Revue des Études juives,* t. I, 1888, p. 249.

3. Quétif et Echard, *Scriptores ordinis prædicatorum,* t. II, p. 821 et 822.

4. *Chartularium universitatis Parisiensis,* t. I, p. 211, n. 12.

B. N. 16558 et cod. Monac. lat. 26847 (fol. 68) cui hæc inscribuntur : ***Isti sunt errores Judeorum in libro Thalèmut, quorum translationem fr. Theobaldus subprior ord. pred. in villa Parisiensi, qui quondam erat Judeus, transtulit de judaico in latinum.*** Frater vero Theobaldus ***de Sexannia*** anno 1248 condemnationi Thalmudi interfuit[1]. Qui verisimillime idem est de quo nobis agitur.

Ex quo quis conjiciat correctionem fratris Theobaldi circa annum 1248 concinnatam esse, Hugonem vero eo tempore quo provincialis Franciæ erat, scilicet circa annum 1236, primam correctionem instituisse, exemplar denique S. Jacobi tempore generalis capituli anni 1256 exaratum esse. Et hæc cum testimonio Baconis optime concordant.

1. Sententiæ Odonis Tusculani episcopi annexa sunt nomina magistrorum et *bonorum virorum, de quorum consilio sententia lata est* (Denifle, n° 178). Quæ nomina semper ante oculos habeas, qui de studiis hebraicis in universitate parisiensi excultis cogitas.

CAPITULUM II

DE GUILLIELMO DE MARA, SACRI TEXTUS CORRECTORE

Cum ex iis quas vidimus correctionibus sciamus certam quamdam in universitate parisiensi et præsertim in ordine prædicatorum floruisse linguæ hebraicæ notitiam, sed eam quasi extraneam et inferioris notæ, longe aliud de ordine minorum audiemus. Illi enim ordini vindicandus est liber ille eximius qui *correctorium vaticanum,* ex eo quod primum innotuit exemplari, antehac vocabatur. Cujus codices non adeo rari sunt. Paucos adducam, cum cæteros II. Denifle percensuerit. Quos vidi hi sunt : codd. Tolosanus 402 (sæc. XIII), fol. 146 [1] ; Venetus Marcianus cl. I, c. 50 (s. XIII), fol. 1 et c. 51 (sæc. XIV ineuntis), fol. 85. De codice Vaticano 3466 fusius egit C. Vercellone.

Ipsi operi præmittitur præfatio quædam brevior, cujus partem recitabimus [2] :

Litterarum sacrarum latino interprete beato Ieronimo in epistola ad Sunniam [3] et Fretelam fratres de greci correctione psalterii attestante, sicut in [4] nouo testamento, si quando apud Latinos questio oritur et inter exemplaria uarietas est, recurrimus ad fontem greci sermonis, quo nouum [5] scriptum est instrumentum, ita in ueteri testamento si quando inter Grecos Latinos(q)ue diuersitas est, ad hebraycam confugimus ueritatem... Uerumptamen sicut in prologo super Iob dicit idem, translatio nunc sensum, nunc uerba, nunc simul utrumque sonat. Non igitur propter solam litteram hebraycam atque grecam litteram communis in antiquis codicibus apostolicarum sedium... siue in uoluminibus etiam alias approbatis est mutanda aput Latinos, dum lingue primarie, a qua fit translatio, sensum uel in summa teneat incorruptum... Noli igitur propter externe lingue idioma canonem destruere [6] Latinorum... Michi ferme in opusculo hoc opere precium est uarias ubi occurrerint litteras recitare, atque illam que in antiquis codicibus ueritate conseruatur illibata, precipue ubi euidens est riuulum a suo fonte procedere, pre ceteris approbare.

Aperte igitur auctor a principio eos impugnat qui « propter externæ linguæ idioma canonem destruunt Latinorum » et certas quasdam regulas sequitur, de quibus in ipso opere plura audituri sumus.

---

1. Codici Tolosano, quod eremitarum S. Augustini Tolosanorum erat, rituale ecclesiæ Apamiensis (fol. 1) colligatum est.
2. Codicem Tolosanum sequimur cum Marcianis comparatum.
3. Cod. Tolos : *Sinniam ;* Marcianus uterque : *Sininiam.*
4. Desideratur *in* in cod. Tolos.
5. Cod. Tolos. : *nouo.*
6. Sic Marcianus uterque; Tolos. : *deserere.*

GEN. I, 26[1] : Antiqui[2] *uolatilibus celi uniuerseque creature.* Nouiores et greci et LXX interpretes qui solent hebreo adherere pro *creature* ponunt *terre.* Simile DEUT. XXV, 7 *suscitare semen,* pro eo quod est *nomen,* quod habent hebreus et grecus, latinus interpres posuit *semen,* et sic in mille locis.

II, 4 *quo fecit Dominus celum et terram.* Non cures de ordine hebrei, si latini probati non concordent, nam hunc ordinem habent et latini et greci.

XI, 15. Hebrayci et caldaicus liber quos uidi habent hic *quadri[u]gentis tribus annis.*

XXIII, *e.* Require in originali hujus operis. Notandum est autem quod hebreus pro *o* littera utitur *uau* littera, uerumptamen penes puncta residet totus sonus, unde quando ad collum littere punctum aptatur sonat in *o.*

EX. II, 22. Quidam noui hebrei non habent hic de secundo filio set antiqui hebrei habent.

V, 23. Intellexit credo prudenter interpres quod *in* pro *de* poneretur... Si uis ergo litteram seruare incorruptam, non nimis adher[e]as iudeis.

XIV, 2. *Phiayroht,* et infra 9 : *erant in Hairoth*[3]. Sic uariant antiqui[4]. *Hiroth* est nomen uel alpium uel uallium uel fluminum uel aliud huiusmodi, et sunt duo uel tria nomina. *Phi* idem est quod *os, hiroth* est ille locus, *ha*[5] articulus[6] qui gallice dicitur *le,* unde modo ponitur *Phiairoth*[7], modo tantum *Ahiroth,* quasi diceret *le Hiroth,* sicut dicimus *le Rone* et *bouche le Rone.*

Fol. 154 v° : Multa de multis capitulis inuenies in quibus si hebreum sequamur e uestigio, littere nostre translatio destructur.

NUM. VIII, 2. Hebreus cum quodam codice fere centum annorum, qui semper neglecta littera communi hebraico adheret, hoc solum sic habet : *cum posueris lucernas septem, contra eam partem,* etc.

DEUT. XXX, 7. Hebreus autem hyspanus habet *qui persequentur te.*

XXXIII, *b.* Hic ponit quod hebreus habet in datiuo, set sciendum, quod hic ponitur articulus sicut est *le* uel *al* in gallico, quod non solum datiuo set et genitiuo seruit, sicut diceremus *la chape le mestre* siue *al mestre.*

JOS. X, 38 *reuersus in Dabira.* Casus hebreus est cum uidelicet consignat terminum motus, ut [si] diceremus *uadit Dabira, uadit Ebrona, manet in Dabir, stat in Hebron.*

XV, 9. Notula que dicit hic idem : *urbs siluarum non est de textu,* falsa est. Si enim tantum de textu sunt que sunt in hebreo, decem milia uerba que interpretes ad euidentiam possuerunt destruentur[8].

XIX, 48. Antiqui[9] et noui et hebreus et grecus : *hec est possessio tribus filiorum Dan.* Alii quod dictum est *tribus* adherentes hebreo moderno auferunt, set postea inueni antiquos hebreos gallicanos habere, et item postea inueni exemplaria hispanica habere. Set iterum, ne nouitati codicum hebreorum ascriberetur[10],

1. Numeros versiculorum posuimus pro litteris concordantiæ biblicæ.
2. Cod. Marcian. 50 : *antiquiores.*
3. Marcianus 51 : *Phiahiroth* et *Ahiroth.*
4. Marcian. 51 : *antiquiores.*
5. Marcian. 51 : *a.*
6. Idem codex : *articulus est qui.*
7. Idem : *Phiahiroth.*
8. Marcianus uterque : *apposuerunt detruncabuntur.*
9. Marcian. 51 : *antiquiores.*
10. Codex Tolos. : *ascribentur.*

inueni quod dicitur *tribus* in greco de LXX. Unde propter solum hebreum nullatenus de libris nostris aliquid mutare [1] debemus.

JUD. I, 11 : *Cariath* [2] *Sepher, id est ciuitas litterarum,* quod expositorum quidam subtus male traxerunt, quia hebreus non habet. Set si omnia que hebreus non habet subtrahentur, decem milia uerborum [3] calumpniabuntur.

II REG. X, 10 : *Abisai*... Hispanicum etiam exemplar uidi quod auferebat [4] *ioth* de medio, non de fine, sic dicens *Absai*. Tu autem obserua canonem latinorum.

XXI, *f*.... Set *be* est prepositio hebraica que est idem quod *in* aput nos.

III REG. X, 11 : *ligna thiina,* pro quibus habet hebreus *almugim,* grecus *apelekita*... nam et *perus* id est explanatio hebreorum dicit esse corallia [5].

II CHRON. II, 8. Pro *algumim* posuit *arceuthina,* quod inueni habere omnes libros alicuius auctoritatis et bibliam etiam ipsius Gregorii magni, et dicit Ouldericus [6] quod ligna arceuthina sunt ligna cypressina uel genus ligni ignoti... *Perus* id est explanatio *coralha* uocat [7].

CANT. V, 11. Quod dicitur *elate* est nomen. *Perus* id est explanatio hebraica dicit quod in hebreo sonat *pendentes*. Alii hebrei dicunt significare *congeriem* videlicet crinium [8], ut apparet in crispis capitibus. Ouldericus dicit quod sunt producciores rami et excellentiores, interdum aurosi coloris, crispantes et semper ad excelsa tendentes.

ES. XXXIII, 19 : *populum impudentem*... Liber etiam hebreorum *mahaberet* hoc testatur et expositio etiam Ieronimi hoc tangit.

In hoc ergo distat noster a correctoribus ordinis prædicatorum, quod hi grammaticorum vices agunt, ille censoris ; prædicatores tironum modo hebræo insistunt, noster de textu hebraico ita curat, ut hujus rei sibi conscius sit, de textu hieronymiano agi non de hebraico, neque Hieronymum hebraicæ litteræ servum fuisse sed interpretem. Hoc etiam præ cæteris eminet, quod longe uberiores illi fluunt fontes, unde hebraicam Sacræ Scripturæ veritatem hauriat. Inter codices latinos præcipue ***bibliam Karoli metensen*** laudat, quæ procul dubio biblia Caroli Calvi (B. N. 1) est, ***codicem antiquum de S. Genovefa,*** et ***bibliam Gregorii magni qua utebatur,*** qui codex nobis hodie latet ; chaldaicos libros, hoc est targumim adducit. In codicibus hebraicis inter ***hebræos modernos, antiquos hebræos gallicanos*** et ***hispanica exemplaria*** probe distinguit. Librum etiam ***Mahberet*** novit, quod glossarium hebraicum est [9], cujus auctor fuit Menahem ben

---

1. Marcian. 51 : *immutare*.
2. Cod. Tolos. : *Canath*.
3. Marcian uterque addit. : *in biblia*.
4. Codd. : *quod auferebatur*.
5. Raschi ad locum : « *Almuggim,* in *laaz coral.* »
6. Ad. EX. XXVIII, 42 : « Ouldericus qui difficilia uerba biblie exponit habet *femina* ». In JUD. III, 24, scribitur nomen ignoti illius scriptoris *Culdericus* in cod. Tolos. ; cod. Marcian. 50 scribit *Caldericus,* 51 vero *Ouldericus*.
7. Kimhi ad locum : « *Corail* ».
8. Cod. Tolos. : *ociuium*. — Raschi : « *Tallalim,* h. e. pendentes, in *laaz bandeleaux*. »
9. Typis primum prodiit anno 1857. Alius etiam *Rabenu* Tamum glossarii *Mahberet* dicitur fuisse auctor, neque minus Salomon Parchon glossarium Mahberet tra-

Saruk, Judæus Hispanus sæculi x, sæpe ab Isaacide laudatus. Explanatio autem hebraica, quæ illi *perus* dicitur[1], ipsissima Raschii referre videtur verba.

Miram quamdam intercedere inter correctorium nostrum et opera Rogeri Baconis propinquitatem, princeps demonstravit Vercellonius. Audiendum ergo quid Baco de temporis sui doctoribus dicat :

Nam non sunt quatuor Latini qui sciant grammaticam Hebræorum, et Græcorum, et Arabum : bene enim cognosco eos, quia et citra mare et ultra diligenter feci inquiri, et multum in his laboravi. Multi vero inveniuntur, qui sciunt loqui græcum, et arabicum, et hebræum, inter Latinos, sed paucissimi sunt qui sciunt rationem grammaticæ ipsius, nec sciunt docere eam : tentavi enim permultos. Sicut enim laici loquuntur linguas quas addiscunt, et nesciunt rationem grammaticæ, sic est de istis...[2].

Nam omnes sancti et philosophi latini et poetæ sciverunt de linguis alienis et omnes sapientes antiqui, quorum multos vidimus durare usque ad nostrum tempus, ut dominum episcopum Lincolniensem [3], et sanctum David, et fratrem Adam [4], et multos viros. Et adhuc aliqui senes perdurant qui sciunt multum, ut sapientissimus homo in studio Sacræ Scripturæ, qui nunquam habuit parem a tempore sanctorum in litera corrigenda et expositione sensus literalis [5]... Et puer Joannes novit melius intelligere hæc exempla, quamvis sint theologica, quam omnes theologi qui sunt lectores et doctores in hoc mundo... [6].

Oportet enim quod homo sciat græcum et hebræum sufficienter et bene grammaticam Latinorum in libris Prisciani; et quod bene consideraverit modos corrigendi et vias probationum veræ correctionis, ad hoc quod sapienter corrigat; quod nullus unquam fecit nisi ille sapiens quem dixi. Nec mirum, cum ipse posuit fere quadraginta annos in literæ correctione et sensu literali exponendo. Omnes sunt idiotæ respectu illius, et nihil sciunt in hac parte [7].

Neque dubium est quin corrector noster discipulus Baconis fuerit. Testis enim est H. Denifle nomen ejus in codice Einsidlensi 28, de quo nobis mox agetur, legi. Qui non alius fuisse dicitur quam frater Willermus de Mara, qui non ignobilem in ordine minorum locum obtinuit et *antithomistarum antesignanus* dici meruit [8]. Neque mireris quod Oxoniensis ille minorita tantam prodat linguæ gallicanæ notitiam, cum ex ipso Bacone noverimus universitatem parisiensem viris doctis regni anglici quasi alteram fuisse patriam. Cæterum in codice Einsidlensi legimus Willermum de Mara correctionem textus Bibliæ Parisiis instituisse.

---

ditur composuisse quod a. 1844 studio S.-G. Stern typis prodiit; fuit et ipse natione Hispanus, a. 1160 Salerni degens.

1. Vide Levy, *Wœrterbuch*, t. IV, p. 143, s. v. פירוש.
2. *Opus minus*, ed. Brewer, p. 33.
3. Robertum Grosthead.
4. Fratrem Adam de Marisco.
5. *Opus minus*, p. 88.
6. Ibidem, p. 89.
7. Ibidem, p. 93. Cf. Hody, p. 429 seqq.
8. De quo legendi Wadding et Sbaraglia.

Videtur correctorium nostrum ex quodam *opere majori* contractum esse, ut ex sequentibus apparet :

Fol. 173 (ad I Chron. 1) : Require in maiori opere, ubi secundum non tantum hebreos set et approbatos latinos nomina correximus.

Fol. 147 (et in multis aliis locis) : De omnibus nominibus hebreis require in originali huius operis.

Fol. 156 v° : Nomina hebrea require in maiori tractatu.

Utrum *opus majus* illud exemplar Sacræ Scripturæ fuerit notis auctum, alii decernent. Sed illud veri similius est.

CAPITULUM III

DE EPISTOLIS ANONYMI CUJUSDAM DOCTORIS

Propius forsan ad *doctorem mirabilem* Rogerum Baconem accedere possumus. Exstat enim in eodem codice Tolosano 402 [1], ex quo correctorium Sacræ Scripturæ descripsimus, aliud quoddam opus, quod ita incipit [2] :

Quoniam quedam glose mencionem faciunt de litteris et uocabulis hebreis et grecis et interdum de casibus grecis, et huiusmodi ignorantur a latinis, ad instructionem nostrorum latinorum quot sint littere in utraque lingua predictorum et nomina earum describemus et uocabula illa in glosis reperta iuxta ordinem librorum biblie et capitulorum eorum prout breuius poterimus exponemus...

Nomina litterarum et ordo earum hic est : *aleph. beth. gimel. deleth. he. vaf. zain* [3]. *heth. teth. iod. chaph. lamed. mem. nun. samech. ain. phe. sade. coph. res. sin. thaf... Uau* et *thau* habent diptongum *av* [4] que sonat *af*, et ideo dixi *uaf* et *thaf*...

Post brevem tractatum de litteris hebraicis et græcis, cui annectitur quasi quædam grammatica græca, incipiunt excerptæ in Sacram Scripturam adnotationes, quæ in eo a præcedentibus differunt, quod non ad correctionem sed ad intelligentiam textus spectant. Idem vero videtur auctor utriusque libelli esse. Idem loquendi genus est, eadem plane doctrina, eædem pæne in omnibus phrases. Confer e. gr. quæ sequuntur cum iis quæ supra posuimus :

Fol. 234 v° : Prepositiuus articulus in declinatione nominum et participiorum preponitur sicut *hic* et *hec* et *hoc* pronomen articulare. Preponitur etiam eisdem in oratione sicut fit in gallico cum dicitur *li maistre list*.

Neque tamen Græcum neque Hebræum eum fuisse dixeris, nam in græco non semel barbarizat, ut in sequentibus :

Fol. 234 v° : Interpretatur autem *prosopon ad uisum*, nam *pros* est prepositio que significat *ad, opto uideo;* inde *opsis* et *opon uisus*.

---

1. De cæteris codicibus a nobis postea dicetur.
2. Fol. 233, in medio antepenultimæ lineæ prioris columnæ. In summa pagina legitur (sæc. circa XIV) : *In fine huius columpne expliciunt correctiones biblie et inde secuntur quedam notabilissima usque ad finem libri.* Et in calce, eadem manu : *Hic incipiunt quedam extraordinaria notabilia ualde.*
3. 1ª m. : *zai*. Sic legitur in Prov. XXXI in bibliis Theodulfi et in exemplaribus sæc. XIII-XV. Apud Theodulfum legitur *xun* pro *sin*.
4. Ita in codice. Item fol. 233 v° : « Secunda littera greca *beta*, set grece *uita* uocatur et habet sonum *v* (sic), et quod greci uocant *ita* Priscianus nominat *eta* ». Fol. 235 legimus in græco *eafton*.

Hebraicam autem linguam ita quidem perfecte novit, ut cadit in hominem qui hebraicas litteras quasi alienum sermonem didicit.

Notabilia autem nostra longe superat ultima pars libelli nostri, quam si sedulo evolveris, apparebit tibi mutuas esse monachorum epistolas, quorum alter de difficilioribus linguæ hebraicæ rebus sciscitatur, alter interroganti respondet, nisi plures sunt interrogantes, unus respondens. De quæstionibus discipulorum pauca hic reponam. Videtur illis correctio Sacræ Scripturæ cordi fuisse, nam in responsionibus (fol. 269 v°) legitur :

Jon. III, 1 : Secundum hebreum *Surge uade ad Niniue uillam magnam et uoca uocationem quam ego loquens ad te.* Non dico quod in littera uestra [non] debet esse *loquor ad te,* quia hebreus non habet primam personam presentis indicatiui modi, set loco eius ponit participium presentis temporis...

Sed percontatores nostri non illius farinæ erant ut Sacram Scripturam corrigere præsumerent. Videntur potius lectores fuisse, qui de legendis singulis sacrorum Bibliorum libris curabant. Qui non multum noverant de hebraico, ut ex verbis respondentis apparet (fol. 274) :

Ut autem frater noster qui uel modicum nouit de hebreo hoc quod dixi percipiat et uobis ostendat ita esse, ponam pauca uocabula huiusmodi de biblia ...

Item fol. 242 v° : Non scripsi hec nomina mensium hebraice, quia nesciretis legere litteras hebraicas.

Fol. 263 : Hoc ideo tam diffuse scripsi uobis ut agnoscatis plane ueritatem in hoc passu et ostendatis hanc sedulam (*sic*) fratri ut ipse studeat et uideat uerum esse quod dico.

Hujus autem generis sunt quæstiones quæ moventur :

Ex. XIV, 2 : Dicunt aliqui non debere legi *in Phiahiroth,* set *in Hahiroth* (fol. 270 v°) [1]... Ex. XVI, 23 : Rogo ut aperiatis michi super hoc expositionem hebraicam. Item rogo ut scribatis michi de mensuris istis *gomor. ephi. hyn* [2]. *bacus. chorus.* Uidetur michi scriptura sacra et sanctorum quasi contrarie loqui de eis... Quero utrum expositiones hebraice aliquam distinctionem faciant inter legem, testimonia, iusticias, precepta (fol. 270 v°)... Ex. XIX, 1 : ... Rogo ergo uos an ita sit secundum traditionem hebreorum. Intellexi etiam ut michi uidetur quod ipsi alternatim computant unam lunationem 30 dierum et aliam 29... Item quomodo exponunt quod dicitur *ut habitet nomen eius ibi,* quid intelligitur per nomen Dei... Item quid intelligitur per nomen Domini secundum expositionem hebreorum Prov. XVIII, 10 : *turris fortitudinis nomen Domini ; ad ipsum alias ad ipsum,* etc. (fol. 271)... Item de hac littera *p* nescio quid sentiam uel quid dicam, quia secundum Ieronimum in libro Interpretationum hebraicorum nominum super Lucam dicit quod *p* littera apud hebreos non habetur... Unde miror quomodo uos dicatis uel etiam iudei quod ipsi predictam litteram habeant uel quomodo hoc defendi possit (v°)...

---

1. Vide supra, p. 33.
2. Codex : *hyir.*

Quantum autem responsor supra interrogantes emineat, prima facie manifestum erit :

Queritis a me utrum uiderim librum qui intitulatur *De canonibus hebreorum*, in quo certificatur quantitas anni. Respondeo : Habeo libros hebraicos de hac materia, potissime de primatione lune [1], que cercius longe excogitata est ab hebreis uel quam ab arabibus uel a latinis. Et sciatis quod missi sunt michi quidam libri hebraichi de Alemannia a quodam iudeo ingeniosissimo qui me nouit ex fama tantum et iam aliquoticns scripsit michi in hebreo et ego sibi. Illos autem libros composuit Abraham [2], et est in eis plus de littera quam in Prisciano maiori, exceptis tabulis multis que site sunt in diuersis partibus libri, sicut apud nos uidemus factum in Almagesti Ptholomei. Et sunt illi libri astronomici subtilissimi et pulcherrimi et utiliores quam alias uiderim, et loquitur de theorica astronomie et de indiciis astronomicis, et sunt ibi multa mirabilia. Et diu laboraueram ad habendum aliquid de libris illis, quia per alia scripta iudeorum noueram eos esse editos, et pluries scripseram cuidam iudeo noto meo qui moratur in ciuitate tholetana in Hispania, ut quereret michi libros illos, et iam semel rescripserat quod non inueniebantur Tholeti nisi pauca capitula ex eis. Modo habeo eos perfecte, benedictus Deus, et intendo eos transferre cum tempus habuero. Ualete. (Fol. 267 v°.)

Superfluum est ut demonstremus doctorem nostrum hebraicæ linguæ compotem fuisse, sed audiendus est idem de chaldaico :

Fol. 248 v° : Jer. x° (11) interscritur quidam uersiculus caldaici idiomatis cuius nomen aliquando dixi uobis secundum glosam. Sermo autem ille, quamuis sit caldaicus, scriptus tamen est litteris hebraicis, sicut si scriberem grecum litteris latinis ut *antropos uecteu* (lege *trechi*) id est homo currit. Illa autem uerba caldaica non possunt plene scribi litteris latinis, quia non habemus ad singulas litteras hebraicas correspondentes in latino, cum secundum quod melius scribi possunt scribantur sic : *qui zena temerun lehom elahaia dissema(r)ia uearequa la auczu iauczu meareaa umin tehoc semaia ele* [3]. Hoc est dictum : *sic dicetis eis, dii qui celum et terram non fecerunt pereant de terra et sub celis istis.* Si autem uerba predicta scripta essent hebraice, sic possent scribi in latino, qualiter *que quen tomeru iahem* (lege *lahem*) *elohym esser hassamaym vachaares lo assu iouezu min haares umin tahat hassamain ele* [4]...

Hæc autem illi sunt nomina litterarum hebraicarum. Ordinem tantummodo instaurare debui, quem depravavit scriba, nescius moris hebraici incipiendi a dextra parte lineæ (fol. 249 v°) :

---

1. Libellus de novilunio a nostro laudatus videtur esse *Kiddusch ha hodesch*, quæ pars est grandioris Maimonidæ operis, *Mischne tora* sive *Jad hazaka*, et latine bis versa est (*De consecratione novilunii*, ed. L. C. de Veil, Parisiis, 1669, iteratum in Ugolinii Thesauro, t. XVIII. *Novilunii initiatio*, ed. B. Witter, Ienæ, 1703).

2. Videtur ille Abraham bar Hayya fuisse, qui rabbinus hispanus Barcinonæ anno 1198 decessit. Cuius exstat *Sefer ha-ibbur* sive tractatus de intercalatione (scilicet mensis tredecimi), qui tabulas astronomicas complectitur et ubi de omni calendario hebraico agitur. De illo legendus Is. Lœb in *La grande Encyclopédie*, t. 1.

3. Formam ipsam chaldaicorum vocabulorum quæras in bibliis hebraicis.

4. Cf. *Opus minus*, ed. Jebb, p. 48.

.a.	.b.	.g.	.d.	.h.	.u.	.z.		.t.	.i.	.q.
aleph.	becz.	gimel.	dalecz.	he.	uau.	zain.	hetei (*sic*).	tet.	iod.	caph.
	[.l.]	.m.		.m.		.n.		.n.		.c.
haph.	lamed.	men aperta.		men clusa.		nun obliqua.		nun recta.		samec.
	.p.	.f.	.c.		.c.		.q.	.r.	.s.	.t.
ain.	pe.	fe.	sazi obliqua.		sazi[1] recta.		[qu]of.	res.	sin.	tau.

Notabis grammaticum nostrum non sine studio omisisse ut quibusdam litteris respondentem sonum indicaret. *Lamed* tantum vitio scriptoris excidit. Quantum vero a communi voce differat ea quam adhibet hebraicæ linguæ pronuntiatio, paucis exemplis videbimus :

Fol. 275 : *Caph*[2] est una de .v. litteris duplicibus, ita quod eadem figura littere si scribatur sic כ dicitur *caph* et habet sonum huius littere *q*. Si autem superponatur ei uirgula sic כ̄, tunc uocatur aliter nec illum sonum possum scribere litteris latinis. Habet enim sonum stridentem et non respondet ei aliqua littera latina set ut proprius potest scribi scribatur sic nomen illius littere *crhaph*... *Beth* est littera secunda in hebraico alphabeto et quando scribitur per se sine uirgula sic ב, tunc habet sonum littere *b*. Quando autem scribitur cum uirgula desuper habet sonum huius littere *v* preposite uocali in eadem sillaba. Similiter *delecz* est nomen quarte littere hebraice et quando scribitur per se sic ד, habet sonum littere *d*, quando autem scribitur cum uirgula sic ד̄, tunc habet sonum huius littere *z*.

267 v° (III Reg. xxii, 8) : Sciatis quod illud *i* quod ponitur in principio huius dictionis (*Imela*) in propositio (*sic*) propter punctationem hebraicam ualet quantum *gi* apud nos, unde si uellem latinis literis nostris scribere dictum nomen et non attenderem ad literas quibus scribitur set ad sonum quem habet in hebreo, scriberem ipsum sic *Gimela*.

Ad evidentiam eorum quæ præeunt pauca verba ponam a doctore nostro latinis litteris expressa, hoc tamen notato, illum *tav* finale ita scribere quasi sit litteris *cz* æquivocum :

Fol. 247 : Nomina terminata in *ocz*[3] sunt feminini generis et pluralis numeri. — 216 v° : *natha*[*n*] idem est quod *dedit* set *giten* idem est quod *dabit*. — 269 (Am. iv, 5) : Sciatis quod loco huius quod est *laudem* habetur in hebreo *thosa*. — 274 *pagay* (פגע) *obuiauit*... *peci* (פחי) id est stultus... (Gen. i, 22) : *peru ureuu*, id est crescite et multiplicamini. (Gen. l, 1) *uagipol iosseph al pene aviv* (sic). id est ruit Joseph super faciem patris sui... Ex. i, 10 : *pen girebe*, id est ne forte multiplicetur. Ex. xl, 3 : *uesaquossa al Haaron et haparoquet*, id est dimittes ante archam velum. — (Lev. xxvii, 29) *logipaze*, id est non redimetur. Item Num. i, 18 : *lemisseperehossam*, id est per cognationes corum et infra eodem (v. 44) *esser paquaza*, id est quos numerauit. — (Ruth ii, 1) *missepahas*

1. Codex : *sari*.
2. Codex, hic tantum : *caphph*.
3. Sic codex.

Elimelech, id est de cognatione Elimelech. — (Esdr. x, 1) *hicepalel*[1] id est orante — (Ps. cxlix, 6) *pifuocz*, id est ancipites. — 275 v° (Ps. cxviii, 129) : *pelaocz eze iocequa*, id est mirabilia testimonia tua. — (Prov xxxi, 8) *petay* (פתח), id est eperi. — *ilemecz* idem est quod muta in hebraico.

Fol. 266 v° : Queritis quomodo pronuncietur et scribatur Micheas nec Michea et hec questio nimis lata potest esse, quia uix est in tota biblia unicum proprium nomen hebraicum quod uniformiter scribatur et pronuncietur apud Hebreos et Latinos. Verbi gratia de paucis, ut per hoc intelligatis de ceteris, in hebreo dicitur *Mosse*[2] pro Moyses et *lehossuay* pro Josue, *Ezera* pro Esdras, *Iob* pro Job, *Selemon* pro Salomon, *Iessaehau* pro Yssayas, *Iremeahu* pro Jeremias, *Iehezequiel* pro Ezechiel. Daniel uero remansit incorruptus, forte quia uirgo fuit, et pronunciatur uniformiter in hebreo et in biblia latina. Item in hebreo dicitur *Hossia* pro Osee, item *Houasea* pro Abdias et *Jona* pro Jonas et *Micha* pro Micheas, item *Hebacuc* pro Abacuc et *Sefanea* pro Sophonias et *Hagai* pro Aggeus et *Zecharea* pro Zacharias et *Maleachi* pro Malachias. Uidetis ergo qualiter confusa sunt hic omnia.

De astronomia Hebræorum jam audivimus doctorem nostrum respondentem. Nunc persequamur et videamus quos Hebræorum libros manibus pertractaverit :

Fol. 273 : Prov. xviii, 10, *turris fortitudinis nomen Adonay, in ipso currit iustus et fortificabitur* secundum hebreum. Hoc est nomen Domini *tetragrammaton*, quod scribitur quatuor literis et pronunciatur longe aliter quam sonent ille quatuor litere, et est nomen quod habetur in summa reuerentia apud hebreos, in tantum quod si superflueret in scriptura ex uicio scriptoris non raderent eum nec perfoderent sed intra circulum concluderent, signato per hoc quod superfluit. Et dicunt hoc nomen esse ualde occultum... De hoc nomine puto quod scripsi uobis alias diffusius. Et scitote quod in hebreo habetur liber unus a Salamone quodam compositus de hoc nomine et uocatur *liber semamphoras*[3], id est liber nominis explanati et est liber multus uelatus et occultatur a sapientibus iudeorum nec umquam potui de ipso uidere nisi paruam particulam, licet multum laborauerim ut eum totum uiderem. Particula autem quam uidi de illo libro erat particula quarta et loquebatur de mirabilibus effectibus illius nominis, et ponebantur ibi multa mirabilia quæ Salamon fecit, ut ibi dicitur, in uirtute illius nominis. Nam ex illo nomine proueniebat uirtus exorcismorum Salamonis quibus sigillabat demones et abiciebat de ob[s]essis et ligabat eos, ut ibi dicitur, et quibus multa mirabilia faciebat. Ex quibus unum ibi recitatur inter alia multa quod cum edificaret templum non est auditus in fabricando malleus nec securis,

1. Codex : *hicepabel*.
2. Codex : *Messe*.
3. Exstant apud Hebræos innumera opuscula de *sem amphoras* seu nomine Dei *tetragrammato*. Unum tantum ex Wolfii *Bibliotheca hebræa* (t. IV, p. 983) hic ponam, qui in latinum sermonem versus invenitur : *Semiphoras et Schemhamphoras Salomonis*, a. 1686 Basileæ cura A. Luppii typis mandatum. Cf. etiam librum *Clavicula Salomonis seu occulta occultorum, orationes Semisoras, liber secreti secretorum* (Wolf, t. IV, p. 982 ; cf. I, 1047 et III, 1033).

et traditur ibi modus quo hoc factum fuerit[1]. In explanatione autem predicti nominis que continetur in tribus primis particulis libri predicti ponitur nomen quoddam 72 literarum quod appellatur *sem amphoras*, id est nomen explanatum, et ex 72 literis illius nominis secundum diuersam eorum combinationem componuntur diuersa nomina diuina, que omnia latent in predicto nomine Domini *tetragrammaton*[2] et puto quod liber Salamonis qui dicitur *ars notoria* et habetur in latino[3], ubi ponuntur multa nomina diuina que in tantum corrupta sunt uicio scriptorum latinorum quod iam non sunt hebrea nec alicuius lingue, contineat predicta nomina et ex eis uirtutem sorciatur, si forte uirtutem habeant quam promittit. Sed de hoc certitudinaliter iudicare non possum, quia, ut predixi, tres primas particulas libri predicti uidere non potui, nec puto quod sit in regionibus istis iudeus qui eas habeat.

Fol. 251 v° : Sicut legi in hebraicis libris, Messias quem Iudei exspectant erit prius homo potens in miraculis ut Moyses et ultra. Felicitas futura quam exspectant est in hoc quod putant quod[4] tandem habitabunt in Ierusalem et in terra promissionis que erit opulentissima et in paradyso terrestri et uacabunt generationi filiorum et erunt in deliciis[5].

Fol. 275 v° : Nec legi nec intellexi quod Iudei Messiam uocent *hammenonem*[6], quod si inuenirem hoc esset michi ratio dicti, quia hec dictio *hammenon* potest interpretari *sol noster*[7] et Iudei exspectant quod Messias debeat eos illuminare et instruere et docere.

Fol. 265 v° : Jer. xxv, 26 *et rex Sesac bibet post eos*. Glosa dicit quod[8] per regem Sesac intelligitur rex Babilonis[9] et hoc probat per quandam regulam que uere optima est et multum facit ad intelligentiam prophetarum in aliquibus locis, et reputatur hec regula quid secretissimum et habitum per reuelationem apud Iudeos. Hec autem est regula ut uideatur quote sint litere alicuius dictionis in alphabeto hebraico secundum ordinem rectum et tote accipiantur litere alie secundum preposterum ordinem alphabeti hebraici et inde composita dictio equialet prime. Uerbi gratia in proposito dico quod secundum hanc regulam Sesac in hebreo ualet idem quod Babel... Nunc autem sic est quod computando literas alphabeti hebraici ordine prepostero *syn* est secunda, computando uero ordine recto *beth* est litera secunda. Ergo per dictam regulam gemina *syn* dat intelligere

---

1. Videtur noster alludere ad *Historiam Asmodæi* ubi inter alia narratur Salomonem ab Asmodæo edoctum ut lapides templi ope vermis *Schamir* absque scalpro et malleo cæderet (Wolf, t. I, p. 1048 ; Buxtorf, *Lex Talm.*, s. v. *Schamir*).

2. De nomine 72 litterarum vide Lutheri *Schemhamphorasch*, a. 1543 (ed. Erlangensis t. 32).

3. In libro *Stein der Weisen*, Hammaburgi a. 1702 edito, numerantur inter libellos cabbalisticos qui inter christianos circumferebantur : 33 : *Notariaca;* 62 : *Anatron* et *Notariancon* (Wolf, t. II, p. 1217). — De verbo *notaricon* vide Munk, *Palestine*, p. 521.

4. Codex : *qui*.

5. Cf. etiam de Messia fol. 253 v°.

6. Forte debuerat noster legere *menahem*.

7. Hoc nomen Messiæ non invenio apud rabbinos. *Hama* in Mischna sæpe pro *sole* sumitur (Gesenius, s. v. חמה) ; videtur etiam *Haman* nomen esse Baalis solaris (Gesenius, s. v. חמן).

8. Codex : *qui*.

9. Raschi : *hu Babel beat-basch*. Similia vide in *Notabilibus Bibliorum*, fol. 238 v°, ubi de rlaegu *al-basch* agitur.

geminam *beth*. *Caph* uero est XII^a^ litera alphabeti [secundum preposterum] ordinem et *lamed* similiter XII^a^ ordine recto. Ergo per eandem regulam *caph* dat intelligere *lamed*. Igitur Sesac dat intelligere Babel.

Fol. 258 v° : Es. LII, 11 *exite de medio eius*. Glosa hebraica exponit *de medio eius* et *inde* id est de regno Edom per quod intelligunt semper regnum Romanorum[1]...

Fol. 260 v° (ad Es. XXXII) : Et scitote quod glosa hebraica semper per Ydumeos intelligit christianos et per regnum Edom regnum christianorum... Quod autem sequitur inferius (v. 19) *grando*[2] *autem in descensione saltus et humilitate humiliabitur ciuitas* exponit glosa [de] destructione urbis metropolis christianorum[3] scilicet Rome que destruenda est tempestate eclitus missa. Hoc ego non credo, tamen nescio quid sit futurum, nec uos hoc debetis dicere in scolis. Multa mirabilia sunt in glosis et hic et alibi frequenter que nec auderem transferre nec dicere quia que nimis essent dura et odiosa.

Fol. 249 v° : Et dicit glosa quod hoc modo soluitur contrarietas in libro qui dicitur *liber de serie mundi*[4] et hoc est uerum.

Fol. 242 v°. GEN. XI, 29 : Iescha ipsa est Sarai sine dubio. Hoc non habetur in textu hebraico sicut non in nostro, set glosa hebraica super locum istum hoc dicit...[5].

Fol. 252 v° : DEUT. XXII, 9 *pariter sanctificentur*... illud uocabulum sonat *aquades* et scribitur sic in hebreo הקדש (?), quod est equiuocum *sanctifices* uel *inquines*, et glosa hebraica dicit quod hic accipitur pro *inquinare*[6].

Fol. 273 v° (DEUT. XXXII, 13) : Glosa hebraica hic dicit propter cassiam que habet saporem mellis et propter oliuas ex quibus fit oleum[7]...

Fol. 254, JOB. XLII, 14 : *Queren* hebraice *cornu* latine, *hapuch stibium* ... et dicit glosa quod uocata est *Cornu stibii* ad innuendum quod non indigebat alieno stibio nec colore ad se pulcrificandum[8]... et nota quod idem uocabulum ponitur hic in hebreo pro stibio sicut ponitur IV REG. IX (30)... Ibi tamen habetur in hebreo *posuit in stibio oculos suos*, et exponit glosa hebraica super locum illum... quod uidebatur posuisse oculos in stibio magis quam stibium in oculis[9].

Fol 276 v° : MAL. III, 10, secundum hebreum *et sit cibus in domo mea*. Quando respexi pro hac auctoritate textum biblie, prima facie putaui quod uera litera esset *et sit rapina in domo mea*... Cum autem respicerem glosam inueni secundum

1. Raschi : « Exite inde, h. e. exite ex exilio (*galut*). » Forsan hic correcti sunt codices hebraici propter censuram, quum vulgatissimum sit Edom in traditione hebraica sumi pro Roma vel pro christianis. Cf. Aben Ezra ad. GEN. XXVII, 40.
2. Codex : *quando*.
3. Raschi : « Et humilitate qua humiliatus fuit Israel humiliabitur metropolis (scriptum *metropolin*) Persarum. » Nihil hic de Roma tangere videtur glossator hebraicus, sed parum dubium est quin hic, ut ad Es. LII, 11, codices censorem experti sint.
4. Liber *Seder olam* notissimus est; exstant tamen præter *Annales majores* etiam *Annales minores*, quæ recentiorem auctorem arguunt.
5. Raschi : « Isca, hæc est Sara. »
6. Ita Raschi.
7. Ita Raschi.
8. Ita fere Raschi.
9. Hæc non habet Raschi. Cf. Kimhi. Iisdem fere verbis eadem retractat R. Baco in *Compendio studii*, p. 440.

glosam quod hic accipitur pro necessariis uite[1]. Ad hoc quod queritis de hoc quod sequitur *orietur uobis* etc. (IV, 2) respondi supra in responsione noua...

Fol. 277 : Eccl. I, 2, ubi habemus *uanitas uanitatum* hebreus habet ***stulticia stulticiarum*** et dicit glosa hebraica quod septies ponit stultitiam propter VII opera creata in primis VI diebus que omnia faciunt homines stultizare[2].

Ib., v°, Eccl. X, 19, secundum hebreum ***et uinum letificabit uiuentes et argento***... et hoc probat (glosa hebraica) per hoc quod habetur Dan. V ubi dicitur ***Baltasar rex fecit grande conuiuium***[3], pro quo hebreus habet immo pocius caldeum, nam Daniel est in caldeo sermone scripto literis hebraicis : ***Baltasar rex fecit panem magnum et ministrauit uinum quod habet letificare uiuentes et argento***...

Summa summarum hæc est: doctor noster ejus fuit in hebraicis litteris doctrinæ, quam vix in alio viro christiano a temporibus Caroli magni invenire est. Rabbinos, præsertim magnum illum Isaacidem, præceptores adhibuit, et in hoc supra viros doctos medii ævi eminuit, quod illi se grammaticos, noster se κριτικώτατον exhibuit.

Quærendus forsan est noster inter eos qui in universitate parisiensi vel alibi lectiones habuerunt, neque tamen diu videtur legisse :

Fol. 265 v° : Et quod plus est probaui cum legerem Trenos. — 266 v° : Late dixi super Trenos... Cujus rationem dixi super Trenos. Tum etiam serio exposui omnia que queritis et multo plura et utiliora.

Gallum eum fuisse, vel certe lingua gallica uti assuetum esse, nemo dubitabit, sed hoc Anglos non excludit, ut ex Bacone novimus :

Fol. 235 v° (in *Notabilibus*) : in gallico agnus est communis generis, licet in latino sit tantum masculini.

Fol. 254 : Et nota quod *li bona* ponitur ibi (Prov. III, 14) loco huius quod est *melior* more hebraico, quia Hebrei non habent comparatiuum set cum uolunt dicere *iste est melior illo,* dicunt *iste est bonus ab illo.*

Fol. 259 : mitram seu coffam.

Fol. 260 v° : Credo quod hec duo instrumenta scilicet ***pala*** et ***uannus*** non habent propria nomina in latino, immo oportet fingere uocabula iuxta gallicum ... nisi forte alterum eorum sit uentilabrum, gallice *uan.*

Fol. 243 v° : Sicut si rex Francie esset personaliter Parisius et eius familia uel exercitus protenderetur usque Aurelianos coniunctim uel intercise, diceretur quod rex habitat Parisiis et Aurelianis.

Ib. : Apud diuersos ulne sunt inpares, unde ulna parisiensis ualet fere duas ulnas atrabatenses.

Non audeam ipsum Rogerum Baconem nominare, quamvis in multis cum magno viro verbo tenus concordet[4] et quamquam eadem orationis

---

1. Ita Raschi.
2. Raschi : « Septem uanitates propter opus septem dierum creationis. »
3. Ita Raschi.
4. Confer e. gr. ea quæ fol. 233 v° (in *Notabilibus*) de alphabeto græco habet cum *Compendio studii*, ed. Brewer, p. 498; fol. 231 v° (ibidem) et 244, dissertationem

redundantia laboret quæ Baconis vitium est. Sed si non ipse Baco fuit, saltem cum illo conjunctissimus fuit et qui tam prope ad eum accederet, ut cum eo confundi posset. Inde *sapientis viri* non obliviscemur qui *fere XL annos posuit im litteræ correctione et sensu litterali exponendo*, unde *omnes sunt ydiotæ respectu illius*[1]. Qui tanta familiaritate videtur cum Bacone conjunctus fuisse, ut inter utrumque vix distingui possit, unde fuerunt qui utrumque unum et eumdem fuisse existimarent, neque forsan immerito.

Neque tamen illud reticendum duos exstare codices, quibus nomen præfigitur, quod nobis jam obvium fuit. Quorum notitiam H. Denifle, de tractatu nostro jamjam disputaturus, qua est erga me benevolentia, mihi transmisit :

Codex Laurentianus pl. XXV *sin.* 4, sæc. XIII-XIV. Fol. 108 *bis* : *Litterarum sacrarum*... (Correctorium sacræ Scripturæ). Fol. 179-210 v° : *Quoniam quedam glose mencionem faciunt*... (Hic est tractatus noster). In margine inferiore fol. 179 leguntur hæc verba : *Compilatio fratris Guillelmi de Mara*... Cætera dissecuit bibliopegus.

Codex Einsidlensis 28, sæc. XIV. Fol. 171 : *Incipit correctio textus Biblie compilata Parisius per magistrum et fratrem Wilhermum de Mara, ord. min.* Fol. 212 : *De hebreis et grecis glossarum Biblie collectio ex hujusmodi opere dicti fratris Wilhermi* (Excerpta e tractatu nostro).

Intricatissimas illas notulas forsan H. Denifle explicabit, neque multum miraremur, si viris doctis videretur Willermum de Mara cum Baconis correctiones sacri textus, tum mutuas magistri et discipulorum epistolas in unum redegisse corpus, quæ merito *compilatio* dici potuit.

---

de nomine Israel, cum *Opere majore*, p. 52 ; quæ de canonibus hebræorum supra, p. 39, posuimus cum *Opere majore*, p. 240 et 246 ; explanationem numeri 666 (fol. 239 v°) cum *Compendio studii*, p. 457 ; commentationem de lingua chaldaica (supra p. 39) cum *Opere majore*, p. 48, et enarrationem nominis *Cornu stibii* (supra p. 43) cum *Compendio studii*, p. 440.

1. Vide supra, p. 35.

CAPITULUM IV

GERARDI DE HOYO CORRECTORIUM SACRÆ SCRIPTURÆ ET LIBER TRIGLOSSOS

De Gerardo de Hoyo pauca nobis dicenda sunt, quum nobis non libuerit codices Correctorii illius propius inspicere, quod nomine ejus inscribitur; ea tamen paucula nobis forsan claviculam exhibebunt qua eas quæstiones, quas in clausula præcedentis capituli posuimus, solvere possimus. Cæterum de Correctorio ejus sufficienter disseruerunt Vercellonius et H. Denifle. Cujus codices duo penes nos sunt, alter Vatic. lat. 4240, sæc. XIII, et alter imperfectus, Laurent. pl. XXV sin. cod. 4, fol. 101, sæculi ejusdem. Opus vero illud præfatione inchoatur quæ ab his verbis orditur :

Cum animaduerterem quamplurimos se miscere questionibus infinitis et circa huiusmodi crebrius occupari, et paucos intendere uel uacare littere ueritati (cum tamen littera sit fundamentum spiritualis edificii utpote super quam tres alii intellectus spirituales habent fundamentum...)...

Ipsum vero opus tanta propinquitate cum correctorio Guillielmi de Mara conjungitur ut a Guillielmo Gerardum perpetuo pendere dixeris. Certe ejusdem fuit ordinis, et eidem scholæ addictus. Quis autem fuerit, penitus ignoratur. Nam Hoyum (Belgis Huy) oppidum est in episcopatu Leodiensi situm, sed nostrum canonicum Corsendoncensem fuisse ex levissima conjectura suspicatus est Paquot, litterarum belgicarum historiographus [1]. Cæterum in Sanderi *Bibliotheca belgica* perspexerat Paquot exstitisse olim in conventu Corsendoncensi ejusdem auctoris *Librum triglossum*, cujus codicem alterum in Bibliotheca Arsenalis parisiensis, sub n. 904, nobis indicavit H. Denifle, rerum pædagogicarum medii ævi investigator diligentissimus [2]. Qui liber ab his versibus incipit :

Incipit Triglossos id est liber trium linguarum, quem librum fecit frater Gerardus de Hoyo.

Pagina diuina tribus est linguis variata,
Scilicet hebrea, greca pariterque latina.

Primam Libri triglossi partem occupat libellus de lingua hebraica metricus, secundam et tertiam tractatus item metrici de lingua græca et la-

1. *Mémoires pour servir à l'histoire littéraire des Pays-Bas*, t. II, p. 22. (Lovanii. 1768, forma max.).
2. Codex chartaceus sæc. XV, fol. 25-103.

tina [1]. Versus deterrimi sunt et plus quam pedestri sermone scripti, mendis referti. Sed auctor in quibusdam locis, quamvis ingenio satis hebes et scientia tenuis esse videatur, de rebus hebraicis mirum quantum eruditus noscitur. Pauca proferam de nomine Dei *tetragrammato* (fol. 27 v°) :

Adonai: Dominus communiter est ita dictus,
Siue *Deus* uel *homo*. Tetragrammum distat ab ipso ;
Quod nomen sanctum Domini dicatur *aretou*,
Sic scribas : *jod, he; vaf* iungas; *he* simul adde.
Non legit ut scribit hoc sanctum nomen Hebreus,
Sed legit *Adonai*, sicut commune legebat.
Sic duo verba bene dic *Adonai* resonare
Nomen commune nomenque Dei speciale.
Si bis ponatur nomen Domini, tetragrammum,
Scribatur primo, nomen commune secundo.

Sed ea nobis peculiariter notanda quæ Gerardus in explicatione nominis Sesach de regula *at-basch* [2] affert :

Cum puer hebrea discit uel grammata greca,
Ipsis prelectis, primas (*lege* imas) iungendo supernis,
Sic ait : *aleph, thaf; beth, sin;* exinde *gimel, res;*
Et sic de reliquis; *lameck* et *chaph* ultima iungit.
Ergo cum ponis aliquas [pro] congeminatis,
Significabit idem, uelato nomine, uerbum.
Inde propheta *Sesach* fert pro *Babel*, ordine uerso.

Non autem arbitror alterum inter christianos in toto medio ævo de regula *at-basch* eruditum fuisse, nisi ipsum auctorem anonymum earum, de quibus supra egimus, epistolarum, vel eum cui ipse doctor ea indicavit. Pæne scriberem : eum ad quem litteræ nostræ directæ sunt.

Neque vero mihi persuadere possum eum virum qui tam mira eruditione trium linguarum polluit, et qui ingenio super æquales facile eminuit, eumdem esse qui miserrimos versus nostros infelici calamo exaravit. Superest ergo ut credamus litteras anonymi doctoris ad Gerardum directas esse, et illum eumdem percontatorem esse qui magistrum quæstionibus lacessebat, Librum triglossum scripturus. Memineris, exempli gratia, eorum quæ doctor anonymus de alphabeto græco ponit :

Nomina literarum grecarum et ordo talis est : *alpha. beta. gamma. delta. e. zeta. eta. theta. iota. kapa. labda. mi. ni. xi. o. pi. ro. sima. taf. y. phi. chi. psi. o.* Preter has literas greci habent tres figuras que faciunt numera (sic) sicut

1. Fol. 32 : Nunc subiungenda sunt recte nomina greca... Fol. 57 v° : Post uoces grecas tandem describo latinas...
2. Vide supra, p. 42.

omnes litere. Uocantur autem sic : *episimon. scopita, caractara,* et ponitur *e simon* post *e* et *scopita* post *pi* set *caractara* post *omega*[1].

Nunc audiendus noster :

Alpha. beta. gamma. delta. e breue. episimon. zeta. eta. theta. iota. ka labda. mi. ni. xi. omicron. pi. scopita. ro. sima. taf. y. phi. chi. psi. ome caractira.

Obvium est illum etiam in mendis cum archetypo concordare. Po nihil dubium est Gerardum eum esse ad quem epistolæ Rogeri Baco scriptæ sunt, nam qui ipsas epistolas conscripsit si ipse non Baco fu alter Baco reputandus est.

1. Fol. 233 v°, in *Notabilibus*. Cf. etiam *Compendium studii,* p. 495, et tabu in editione Breweri.

PARS QUARTA

DE TRANSLATIONE SACRÆ SCRIPTURÆ EX HEBRAICO, XIII° SÆCULO INSTITUTA. — SUBJUNGUNTUR QUÆDAM DE NICOLAO LYRANO

CAPITULUM PRIUS

TRANSLATIO SCRIPTURÆ SACRÆ EX HEBRAICO

Sacram Scripturam, XIII florente sæculo, latinam ex hebraico factam nemo sane audivit: Exstat tamen penes nos magna pars hujus operis, forsan imperfecti. Codices vero in quibus servatur præstantissimum illud opus in bibliothecis anglicanis pæne universi latent. Qui nobis brevissime describendi sunt.

1. Codex Oxoniensis Collegii Corporis Christi V, sæculi XIII, continet Pentateuchum hebraice et latine scriptum. Textus hebraicus binis columnis conscriptus est, versio vulgata in medio posita est. Præterea inserta est inter lineas textus hebraici glossa latina, de qua mox nobis dicetur (385 × 305^{mm}).

2. Codex Oxoniensis Collegii S. Johannis 143, sæculi XIII, complectitur libros Josue et Judicum, Cantica Canticorum et Ecclesiasten hebraice cum versione vulgata in margine adscripta et cum glossa latina interlineari (215 × 150^{mm}; 343 ff.; lineæ in hebraico septenæ denæ).

3. Codex Oxoniensis Collegii Corporis Christi IX. In eo continentur libri Samuelis et Chronicorum hebraice. Versio vulgata in margine libris Samuelis adscripta est, in Chronicis vacat. Liber Samuelis prior, usque ad cap. XVII, v. 54, et libri Chronicorum glossam hebraicam comitem habent; post I SAM. XVII, 54 paucæ tantummodo voces latinæ textui hebraico superscriptæ sunt. Librarius idem esse videtur qui codicem S. Johannis exscripsit; glossatoris autem manus ejus qui libro Samuelis I incubuit non eadem videtur quam ex codice S. Johannis novimus (197 × 138^{mm}; 226 ff.; lineæ in hebraico septenæ denæ).

4. Codex ejusdem collegii VI ejusdem videtur scribæ esse ac codd. S. Johannis et CCC. IX. Manus item glossatoris a scriptura scribæ illius non absimilis est, qui libros Josue et Judicum, Canticum, Ecclesiasten et Chronica in codicibus illis glossavit. In codice de quo nunc agimus habentur libri Josue, Judicum et Samuelis, Ecclesiastes et Esther. In Josue leguntur paucæ glossæ latinæ; incipit glossa Samuelis a medio capitulo XXXII (365 × 270^{mm}; columnæ binæ; lineæ quadragenæ).

5. Codex ejusdem collegii X continet Psalterium hebraice; adstat utraque versio S. Hieronymi, nempe « gallicana » et « hebraica », hæc in columna media, illa

e regione. Hebraico textui inserta est glossa latina. Glossatoris manus forsan eadem est quam in principio libri Samuelis I vidimus (340 × 245^{mm}).

6. Codex Cantabrigiensis Collegii SS. Trinitatis R. 8. 6 complectitur Psalterium hebraice, cum utraque versione S. Hieronymi. Codex binis columnis conscriptus est, et laterculus alter iterum bifariam dividitur, ita ut textus hebraicus priorem partem uniuscujusque paginæ occupet, hunc versio « hebraica » cum « gallicana » sequatur. Super textum hebraicum legitur glossa interlinearis latina. Scriptura sæculi XIII est, a codice S. Johannis non absimilis (300 × 220^{mm}; 83 ff.).

7. Codex Oxoniensis Collegii Corporis Christi XI, sæculi XIII-XIV, continet Psalterium et Proverbia hebraice. Psalterium absque glossa est, sed adstat S. Hieronymi versio « hebraica », cum multis notis margini inscriptis. Proverbiis non nisi in prioribus verbis glossa latina inest (290 × 210^{mm}; lin. hebraicæ in singulis paginis 23-28, in Proverbiis 27).

7. Edidit ill. A. Maius, in *Nova bibliotheca Patrum*, t. VII, II, p. 312, e Ludovici Borbonii Lucæ principis codice, psalmum XLV (XLIV : *Frequentat cor meum verbum bonum*...). Quem psalmum post A. Maium denuo excudi fecit P. de Lagarde (*Psalterium juxta Hebræos*, p. XVI).

Codices Collegii Corporis Christi, vel certe maxima pars eorum, dono Joh. Claymond in bibliothecam illati sunt; codicem S. Johannis collegio dono dedit Edw. Bernard a. 1667.

Antequam ex illa versione Scripturæ Sacræ, cujus fere dimidiam partem servaverunt codices nostri, pauca excerpamus, admonendus nobis lector est nihil esse dubitationis quin omnes quos habemus libros unus et idem scriptor in latinum sermonem transtulerit. Nam universis codicibus nostris hoc peculiare inest, mirandam quamdam voculam *ar* multis verbis anteponi : quibus litteris significatur articulus, sed ita ut articulis vox hebraica *eth* annumeretur, qua casus accusativus demonstratur. In Canticis Canticorum etiam invenimus, pro particula *aph*, quam videtur translator noster legisse *eth*, voculam *ete*. Cum illud Hebræis proprium sit, ut singulas voces et litteras Sacræ Scripturæ quasi quadam verecundia prosequantur, *ne iota quidem unum aut unus apex pereat*, hoc nobis concludendum est, interpretem nostrum verisimillime Hebræis adscribendum esse. Ingenium enim Hebræorun ab antiquissimis temporibus in eo semper intentum fuit, ut litteram urgerent; neque id interpretis hebræi genuini erat, ut, quod in beato Hieronymo miramur, non tam *verbum e verbo* quam *sensum ex sensu exprimeret*[1]. Neque absimilis ab anxia illa cura, qua nostrum minutissimis particulis insistentem vidimus, fuit Aquilæ studium celeberrimi illius qui vixit sæculo post Christum secundo Sacræ Scripturæ interpretis. Qui tanto labore solebat sacræ litteræ insistere, ut verbulum *eth*, quæ apud Hebræos nota accusativi est, voce σύν exprimeret, et his verbis in principio Geneseos exordium sumeret : ἐν κεφαλαίῳ ἔκτισεν ὁ θεὸς σὺν τὸν οὐρανον καὶ σὺν τὴν γῆν[2]. Neque aliter scholiastes, quem

1. Hieronymus in prologo libri Job
2. Hieronymus ad Es. XLIX.

circa Caroli magni tempus libros Regum et Chronicorum κατ' ἀκρίβειαν retractantem vidimus, hoc agebat ut propius quam B. Hieronymus ad ipsissima verba textus hebraici accederet. Non tamen forsan noster, cum eum Hebræis adjudicandum censeamus, a christiano populo alienus fuisse dicendus est, nam hoc ipsum studium quod in eo manifestum est, versionem vulgatam cum hebraico textu componendi, demonstrat textum illum receptum non nullius apud eum fuisse auctoritatis. Certe codices nostri scriptorem christianum arguere videntur. Sed ad ipsum textum accedamus.

GEN. I (1) ... creauit Deus *ar* celum et *ar ar* terram. [2] Et *ar* terra erat inanis et uacua et tenebra super faciem abissi et spiritus Dei incubans super faciem aquarum. [3] Et dixit Deus : Sit lux, et fuit lux. [4] Et uidit Deus *ar* lucem quod bona, et diuisit Deus inter lucem et inter tenebram (2)...

Jos. I.... post mortem Mose serui Dei et loquebatur Deus ad Iehousuha filium Nun ministrum Moisi dicens : [2] Mose seruus meus mortuus, et nunc surge transi *ar* Jordanem istum tu et omnis populus *ar* iste ad *ar* terram quam ego daturus sum eis filiis Israel. [3] Omnem locum quo calcauit planta pedis uestri in eo uobis dedi eum, quomodo locutus sum ad Mose, [4] a deserto et *ar* Libano isto et usque *ar* fluuium magnum fluuium Eufraten (3)...

JUD. I.... post mortem Josuha interrogauerunt filii Israel in Deo dicendo : Quis ascendet pro nobis ad Cananeum in primo pugnare in eum? [2] Et dixit Deus : Juda ascendet, ecce dedi *ar* terram in manu sua (4)...

I SAM. I.... uir unus de Ramataim Sophim de monte Efraim, et nomen eius Elkana filius Jeroham filii Elihu filii Tohu filii Suf ephratei, [2] et ei due uxores. Nomen unius Hanah et nomen secunde Feninnah (5)...

III, 3 : Et lux Dei prius quam extingueretur, et Samuel accubuit in templo Dei quo ibi arca Dei (6)...

Ps. I. Beatus (7) uir qui non abiit in consilio impiorum et in uia peccatorum non stetit et in sede illusorum non sedit. [2] Quod si (8) in lege Dei uoluntas eius et in lege eius meditabitur diebus et (9) nocte. [3] Et erit tanquam lignum plantatum

---

1. Vacat interpretatio verbi *bereschit* (*In principio*), quod procul dubio excidit, cum hoc verbum in codicibus grandioribus litteris pingi soleat. Nec aliter accidit in cæteris Sacræ Scripturæ libris.
2. Cod. CCC.V.
3. Cod. S. Johannis 143.
4. Cod. idem, fol. 151.
5. Cod. CCC. IX.
6. Textus vulgatus in codice nostro hoc modo correctus est : *Lucerna Dei autem antequam extingueretur, Samuel autem dormiebat*... Neminem fugit fere universos versionis hieronymianæ codices, excepto codice Amiatino, ita legere : ... *nec* (vel *et non*) *poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat*.... Sed veram lectionem perspexit auctor *Quæstionum hebraicarum*, et item post eum Petrus Comestor, Hugo de S. Caro in correctorio et quidam correctores (Marcian. I, 50; correctorium Vaticanum 3466 ex auctoritate fratris Petri, teste Vercellonio).
7. Vox *beatus* vacat in cod. Cantabr.; ex cod. CCC.X eam reposuimus.
8. כי אם. CCC.X in margine : *Sed*.
9. CCC.X : *ac*.

super diuisiones aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non putrescet et omne quod faciet prosperabitur. [4] Non sic impii, quod si tanquam palea quam impellet ipsam uentus. [5] Super hoc (1) non resurgent impii in iudicio et peccatores in sinagoga iustorum. [6] Quoniam nouit Deus uiam iustorum et uia impiorum peribit.

Ps. XLII. [3] Quemadmodum ceruus desiderabit super riuos aquarum, ita anima mea desiderabit ad te Deus. [3] Sitiuit anima mea ad Deum, Deum uiuum. Quando ueniam et uidebo faciem Dei? [4] Fuit mihi lacrima mea panis diebus et nocte, in dicendo ad me omni die : Ubi Deus tuus? (2)...

CANTIC. I. Canticum *ar* canticorum quod *ar* Salomoni. [2] Osculetur me osculis oris sui, quia meliores dilecciones tue quam uina. [3] In odore oleorum tuorum bonorum, oleum euacuatum (3) nomen tuum, super hoc (4) adolescentule diligunt te. [4] Trahe me post te, curremus. Induxit me (5) *ar* rex talamos suos, exultabimus et letabimur in te, memorabimus dileccionum tuarum plus uino. Recti diligunt te.

[5] Nigra ego et formosa (6). Filie Ierlm sicut tabernacula (7) Kedar (8), sicut cortine Salomonis. [6] Ne considerctis me quod (9) ego nigerrima, quod (10) decolorauit *ar* sol. Filii matris mee exarserunt in me, posuerunt me custodientem uineam, que mihi non custodiui. [7] Nuncia mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas et ubi cubes in meridie (11), quia ad quid ero quasi circumdata iuxta greges sodalium tuorum? [8] Si noueris te, *ar* pulcra in mulieribus, egredere, abi in uestigiis *ar* ouilis et pasce *ar* hedos tuos iuxta tabernacula pastorum. [9] Equitatui meo in curribus Faraonis, assimilaui te, socia mea. [10] Pulcre gene tue in turturibus, collum tuum in monilibus. [11] Turtures auri faciemus tibi *simil* (12) punctatas *ar* argento. [12] Adhuc quod (13) rex in accubitu suo, nardus dedit odorem suum. [13] Fasciculus mirre dilectus meus mihi inter ubera mea manebit. [14] Botrus (14) *ar* aramatis (15) dilectus meus mihi in uineis Hein Gadi. [15] Ecce tu pulcra, socia mea, ecce tu pulcra, oculi tui columbarum. [16] Ecce tu pulcher, dilecte mi, *etc* (16) suauis *etc* lectus noster ramosus (17). [16] Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cipressina.

---

1. עַל־כֵּן.
2. Cod. Coll. Trin. Cantabr.
3. Margo : *uel exinanitum.*
4. Vide supra, n. 1.
5. Margo : *uel introduxit.*
6. *Uel pulcra.*
7. Margo : *papiliones.*
8. Margo : *Kedar obscurus.*
9. שֶׁ.
10. Item.
11. Margo : *uel meridianis, quia cb*[*raicum*] *non est plurale.*
12. Sic pro עִם.
13. עֵרֶשׁ.
14. Desuper : *muisine* (vide Godefroy, s. v. *moissine*).
15. *Uel expiacionis.*
16. אַף.
17. *Uel frondosus.* DEUT. XII (2) : *super omne lignum frondosum.*

II. [1] Ego flos planiciei, rosa conuallium. [2] Sicut rosa inter spinas, sic socia mea inter *ar* filias. [3] Sicut malus in lignis silue, sic dilectus meus inter *ar* filios ([1])...

ECCL. I. Uerba ecclesiastes ([2]) filii Dauid regis in Ierlm. [2] Uanitas uanitatum, dixit ecclesiastes, uanitas uanitatum, omnia stulticia ([3]). [3] Quid amplius homini in omni labore suo quo laborans sub sole? [4] Generacio uadit, generacio aduenit, et terra in eternum stat, [5] et orietur *ar* sol, et occidet sol ad locum suum ([4])...

Glossa hæc est, non interpretatio, neque verisimile est, nostram versionem continua serie et quasi currente calamo unquam descriptam esse. Nam superest in ea quasi nota artificis, videlicet voculæ barbaræ, quibus tam articuli quam singulæ particulæ orationis indicantur, quæ ab ingenio Latinorum prorsus abhorrent. Neque credibile est, hujusmodi translationem, externæ verborum formæ plus æquo insistentem, facile in prosum sermonem traduci potuisse, cum idem in glossatore nostro notandum sit quod Hieronymus in Aquila taxavit, nempe eum ***non solum verba, sed etiam etymologias verborum transferre conatum esse***. Psalterium tamen sæpius descriptum est, neque temperavit ab eo manus correctoris; non tamen facile crediderimus futurum fuisse ut impeditus ille et hærens sermo Latinis nostris unquam acceptus fieret. Ubi autem excerpta nostra propius inspexeris, manifestum tibi erit non plane novum illud opus esse, sed translationem nostram ex hieronymiana ita excrevisse, ut vix aliud esse videatur quam perpetua vulgatæ versionis ad hebraicam litteram accommodatio. Unde quis quærat, num illud in Judæum virum bene cadat, cum Hieronymianum opus ecclesiæ catholicæ quasi vexillum fuerit. Neque nos Hebræum nostrum aquæ baptismi expertem fuisse crediderimus. Si vero quæratur ubi terrarum interpres noster opus suum concinnaverit, iis ille regionibus vindicandus erit, in quibus lingua gallicana florebat. Gallicanum enim ingenium redolet stylus ejus. Nihil tamen obstat quominus nostrum Anglis addicamus, quibus lingua gallicana quasi domesticus erat sermo, cum id minime nobis omittendum sit, codices nostros et hodie fere universos Oxoniæ servari, et ea scriptura exaratos esse, quæ scripturæ anglicanæ illius temporis simillima esse videatur. Sed de his judicent qui codices propius quam in nobis fuit inspexerint. Tu vero non obliviscaris, studium Oxoniense inter universitates medii ævi unam e paucis fuisse, ubi de hebræo lectitaretur [5]. Neque alia sedes scholæ erat illius, cui, quanto pollebat ingenio, præerat *doctor* ille ***mirabilis*** Rogerus Baco. Quocirca non plus æquo miraremur, si forte inveniretur glossator noster anonymus fuisse inter asseclas Rogeri Baconis.

1. Cod. S. Johannis, fol. 151.
2. *Uel congregantis.*
3. Cf. de hoc verbo p. 44.
4. Cod. S. Johannis, fol. 299.
5. J.-C. Ulrich et L. Reinhard, laudante F. Delitzsch (*Jesurun*, p. 14).

CAPITULUM II

NICOLAUS DE LYRA

De Nicolao Lyrano nobis breviter agetur, quum omnia fere aliis jam dicta sint quæ nobis de illo dicenda essent. Tritissimum est ***Postillarum*** auctorem tanta valuisse hebraicarum rerum notitia, ut multis Hebræus fuisse dictus sit. Quam opinionem, cum R. Simon parum probabilis visa sit, iis argumentis impugnaverunt L. Cappellus et M.-H. Reinhard, ut de ea paucis absolutum sit. Neque Lutherus, qui Lyranum assidua manu tractavit, neque ante Sixtum Senensem quisquam Hebræum eum prædicavit. Refert contra W. Rolevink memoria traditum esse Nicolaum, quum ex parentibus christianis et pauperibus ortus sit, scholas hebræorum a pueritia adiisse, neque Lutheri sententia infitianda est, cui Lyranus *der feine Mann Lyra, ein guter Ebräist und treuer Christ* dicitur [1]. Nostrum etiam taxat Paulus Burgensis, ipse in judaismo natus, ut qui ***in litera hebraica non*** fuerit ***sufficienter eruditus, quasi illam a pueritia didicisset; sed de illa videtur habuisse notitiam, quasi ab aliis in ætate adulta mendicato suffragio acquisitam*** [2]. Ipse etiam Matthias Doring, Nicolai defensor, hoc non agit ut postillatorem ignorantiæ excuset, sed simpliciter replicat : *Nec Burgensis debuit ex eo notare postillatorem, sed ei gratias agere*. Lyranus vero in prologo secundo ***de intentione auctoris et modo procedendi*** confitetur : *Quia non sum ita peritus in lingua hebraica vel latina, quin in multis possim deficere,* et in clausula libri ***de differentia nostræ translationis et hebraicæ litteræ*** [3] ita ipse de se loquitur :

Possent autem aliqui credere quod in hoc opere et in Postillis super Uetus Testamentum multa posuerim de hebraico aliter quam sint in ueritate, cum in hac lingua non sim multum sed modicum instructus. Propter quod omnes uolo scire quod in dictis operibus nichil posui de hebreico ex capite proprio tantum, sed cum directione et collatione atque consilio uirorum in hebraico peritorum... Sciendum etiam quod apud Hebreos multa sunt nomina equivoca... Ego uero in talibus communiter secutus sum Rabi Salomonem, cuius doctrina apud Iudeos modernos magis autentica reputatur.

Præceptor enim Lyrani fere unicus fuit Salomon Isaacides, qui nobis Raschi dicitur, maximus ille inter omnes qui medio ævo floruerunt Sacræ

---

1. *Von den letzten Worten Davids*, ed. Erl., t. XXXVII, p. 4.
2. *Additiones super utrumque prologum*.
3. Quod typis prodiit Rothomagi, s. a.

Scripturæ interpretes, quem etiam Baco præ cæteris secutus est. Quem Lyranus in secundo prologo his verbis laudat :

Intendo non solum dicta doctorum catholicorum sed etiam hebraicorum, maxime Rabbi Salomonis, qui inter doctores hebreos locutus est rationabilius, ad declarationem sensus literalis inducere.

De Nicolao Lyrano non nostrum est fusius hic agere. Satis erit si lectorem admonuerimus Nicolaum, natione Normannum, ordini fratrum minorum addictum fuisse et Parisiis A. D. 1340 diem obiisse. Cujus *Postillæ* in Sacram Scripturam una cum *Additionibus* Pauli de S. Maria episcopi Burgensis († 1435) et cum *Replicis* Matthiæ Doring franciscani typis non semel prodierunt.

In hoc novorum temporum prænuntius fuit Lyranus, quod sensui litteræ primus inter omnes institit : quod vix illum dicam a rabbinis didicisse, quibus allegoria plus æquo placebat. Sed ipse a canone suo in eo continuo deviavit, quod *duplicem sensum litteralem* et *scripturam interiorem* profiteretur, qua via infelix ille quadruplex sensus, quo doctrina scholastica laboraverat, in litteram rursus intruderetur. Hoc autem a Judæis didicit, aliter tractandam esse Sacram Scripturam, quam in scholis christianorum moris erat, et hebraicam litteram totius interpretationis principium esse et fontem unicum ; et in hoc Lutheri præceptor exstitit.

EPILOGUS

In propatulo est linguas græcam et hebraicam ante renascentes sæculo XVI litteras apud nos paucissimis innotuisse. Ut enim dicebat Philippus de Harveng, abbas Bonæ Spei, *etsi hebræa et græca eo datæ sunt ordine patribus ab antiquo, tamen quia non usu sed fama sola ad nos quasi veniunt de longinquo, eisdem valefacto ad latinam præsentem noster utcunque se applicat intellectus* [1]. Cum autem novus etiam spiritus adspiraret, non defuerunt qui in eas querelas erumperent, quas ex Conrado de Heresbach audimus : *Audivi monachum in ecclesia declamantem qui, Nova, aiebat, recepta est lingua, quæ vocatur græca, ab hac sedulo cavendum ; tandemque subjecit : Alia jam oritur lingua, quam vocant hebræam, hanc qui discunt, efficiuntur Judæi* [2].

Hoc tamen inter græcam linguam et hebraicam discriminis erat quod græca e longinquo expetenda erat, hebraica in proximo erat. Nec multum esse reputabat Baco *pro tanta utilitate ire in Italiam, in qua clerus et populus sunt pure græci in multis locis ; doctores autem in hebraico non desunt, quia ubique sunt Hebræi* [3]. *Suntque homines* (ita loquitur Baco) *Parisius et in Francia et ulterius in omnibus regionibus, qui de his* (scilicet de lingua hebraica, arabica et chaldaica) *sciunt quantum necesse fuerit in hac parte. Græcum vero maxime concordat cum latino, et sunt multi in Anglia et in Francia, qui hoc satis instructi sunt* [4]. Queritur tamen Baco paucissimos esse *qui sciant rationem grammaticæ ipsius* [5].

Cum enim *ubique sint Hebræi*, nemo mirabitur Judæos baptizatos linguæ hebraicæ christianis præcipuos fuisse præceptores. Inter quos ille ut tempore ita doctrina eminuit, qui *Quæstiones hebraicas in libros Regum*

---

1. Ep. XVII. *Opera*, ed. Duac. 1621, p. 85. Obiit A. D. 1182.
2. *De laudibus græcarum litterarum oratio*, ap. L. Reinhard, p. 8.
3. *Comp. studii*, p. 343. Notanda etiam bulla inedita Eugenii papæ IV, quam nobiscum liberalissime communicavit H. Denifle, data Florentiæ, a 1435, 7 id. apr. : *Eugenius etc. Universis etc. salutem. Cum dilectus filius Johannes de Torcellis de Aretio liberalium artium studiis insistens ad civitatem Constantinopolitanam pro earundem artium acquisitione et literarum grecarum disciplina habeat ad presens necesse se transferre, Nos volentes eundem Johannem cum ejus comitiva cum hominibus equestribus et pedestribus usque ad numerum quatuor salmis valistis vestibus libris auro argento rebus et bonis quibuscumque in eundo stando et redeundo plena ubique securitate et favorabili tractatu gaudere...* (Arch. Vat. Reg. Eugenii IV de curia ann. 4-5 lib. 14 vol. 373. fol. 173.)
4. Ibidem.
5. *Opus minus*, p. 33.

concinnavit, quod opus eam laudem per totum medium ævum obtinuit, ut inter hieronymiana recenseretur. Neque etiam fratris Theobaldi nomen reticendum est, qui fratres prædicatores sæculi XIII linguam hebraicam docuit, Talmudi impugnator acerrimus.

Inter christianos vero notitia hebraicæ linguæ sæpissime eo fine inclusa est, ut alphabetum et tenuissimum quoddam grammaticæ argumentum docerentur. Qualia vero, Ludovico IX rege, in Universitate Parisiensi viguerint hebraica studia, ex *Interpretationibus nominum hebraicorum* potissimum exploratum habemus, qui libellus per duo et amplius sæcula Sacræ Scripturæ comitis instar quasi colligatus est.

Quæ tirocinia litterarum hebraicarum ea studia longe vicerunt, quæ in ordinibus fratrum mendicantium floruerunt. Fratres enim prædicatores, cum in assiduis circa Talmudem controversiis cum Judæis versarentur, hoc egerunt ut studio linguæ hebraicæ indefessis laboribus incumberent. Quorum studiorum princeps et auctor fuit Hugo de S. Caro. Neque tamen hujusmodi viri veræ indolis linguæ hebraicæ ita compotes fuerunt, ut quale sit litterarum sacrarum ingenium recte sentirent. Hoc unus perspexit Rogerus Baco. Cujus ad discipulos epistolæ (nam vix ad alium revocari possunt) mirum quantam prodant antiquarum rerum notitiam et quam exercitatum in rebus criticis ingenium.

Neque illud prætermittendum est, iisdem temporibus et forsan sub ipso umbraculo scholæ baconianæ inchoatam novam quamdam Sacræ Scripturæ translationem ex hebraico, inauditum prorsus a temporibus B. Hieronymi inceptum. Nicolaus vero Lyranus, ipse ordini fratrum minorum addictus, jam vergente medio ævo ad principem illum judaicorum exegetarum Salomonem Isaacidem reversus est, et tanta autoritate fuit, ut hoc de eo in proverbium evaserit :

Si Lyra non lyrasset,
Lutherus non saltasset.

Neque nihil effecit Concilium Viennense, cum solemni decreto, Raimundo Lull suadente, præcepit ut *ubicumque Romanam curiam residere contigerit, nec non in Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi et Salmantino studiis*, scholæ erigerentur, et *ut in quolibet locorum ipsorum tenerentur viri catholici sufficientem habentes hebraicæ, græcæ, arabicæ et chaldaicæ linguarum notitiam, duo videlicet uniuscujusque linguæ periti, qui scholas regerent inibi, et libros de linguis ipsis in latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsos sollicite docerent, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles*[1]. Nam anno 1319, Johannes Salvati de Nova Villa Regis, clericus Belvacensis diœcesis, *qui olim de judaicæ cæcitatis errore ad fidem catholicam se converterat, in linguis tam hebræa*

1. Chartul. Univ. Paris., 695 (A. D. 1312). Cf. notas, t. II, p. 155.

quam chaldæa sufficienter instructus, litteras Johannis papæ XXII impetravit, episcopo Parisiensi injungentis ut ei *pro scholaribus erudiendis* de pecunia competenti provideretur, neque omisit papa quin diligentius inquireret *si scholares auditores habent* [1]. Sed illud potius spectavisse videntur illi qui studia orientalia Parisiis instauraverunt, ut christianam religionem in orientis partibus ampliarent, ita ut *collegium* illud *orientale*, de quo sæpe res fuit [2], vere quædam *École des langues orientales vivantes* seu *des missions étrangères* dici possit. Cæterum de scholis illis orientalibus nihil audimus, nisi lectores ægerrime laborasse ut victui quotidiano provideretur, neque ad propagandam fidem multum contulisse videntur, cum res ardua sit, militem christianum instituere.

Neque etiam nostratibus tam defuit notitia hebraicæ linguæ quam græcæ. Si enim in correctoriis nostris Novum Testamentum cum Vetere comparaveris, non mediocre senties inter utrumque esse discrimen, quum iidem illi quos in hebraico magistros esse experti sumus, in græco vix supra tirones emineant. Et hoc infelici quidem fato accidit. Studium enim hebraicarum litterarum pæne totum in traditione versabatur, et in scholis Hebræorum illa semper floruit Sacram Scripturam interpretandi ratio, quæ a patribus accepta erat, nempe allegorica et a sensu litteræ plus æquo recedens. Græca vera lingua neque glossam novit neque auctoritatibus inservit, et liberos homines facit. Et hæc causa fuit, quare nova tempora non Baco instauraret, sed Erasmus. Ille *doctor mirabilis* fuit, hic præceptor generis humani.

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV Nonas mart. ann. MDCCCXCIII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

---

1. Denifle, 777, 786 et 857 ; Jourdain, *Un collège oriental à Paris ;* cf. Denifle, 180, 324 et 587. Si cui placet de methodo studii hebraici inter christianos inquirere, codicem B. N. hebr. 113 adeat, ubi tirunculus quidam XIII-XIV sæculi cum verba magistri sedulus exciperet, psalmis I-X notulas tam latinas quam gallicas adscripsit.

2. De Collegio Constantinopolitano, *in vico Sine Capite, prope plateam Maubert* instituto, legendus imprimis A. Lefranc, op. l., p. 3 et 18.

INDEX ALPHABETICUS

Abraham bar Hayya, 39.
Agobardus, 4.
Alphabetum græcum, 5, 6, 44, 47 s.; hebraicum, 5 ss., 22, 24, 37, 40; samaritanum, 5 s.
Amolo, 4.
Ars notoria, 42.
Articulus hebraicus, 33, 37, 50.
At-basch, 42, 47.

Canones hebræorum, 39, 45.
Carolus magnus, 9, 34.
Chaldaica lingua, 10, 33 s., 39, 44.
Concilium Viennense, 57.
Constantia imperatrix, 12 ss.
Correctio S. Scripturæ, 26 ss.
Correctorium fratrum prædicatorum, 30 s.; Gerardi de Hoyo, 46 ss.; Hugonis de S. Caro, 28 ss.; Parisiense, 30; Senonense, 27 s.; Sorbonicum, 28; Stephani abbatis, 9 ss.; fr. Theobaldi, 30 s.; Vaticanum, 32.

Edom nomen allegorice intepretatum, 43.
Epistolæ anonymi doctoris, 37 ss.
Eugenius papa IV, 56.

Georgius de Sclavonia, 6.
Gerardus de Hoyo, 46 ss.
Glossaria hebraico-latina, 17 s.; latina, 17; trilinguia, 17 ss.
Græcæ linguæ notitia, 5 s., 17 ss., 37, 39, 41, 46 ss., 56, 58.
Guillielmus Brito, 28.
Guillielmus de Mara, 32 ss., 35, 45.

Henricus de Hassia, 24.
Hieronymus (S.), 1, 16.
Hugo de S. Caro, 28 ss.

Interpretationes nominum hebraicorum hieronymianæ, 16 ss.; parisienses, 20 ss.

Johannes papa XXII, 58.
Johannes Salvati, 57.
Johannes de Torcellis, 56.

Laaz, VI, 34.
Ludovicus IX rex, 26 ss.

Mahberet (Liber), 34.
Messias Judæorum, 24, 42.
Minores (fratres), 27, 32, 35 ss., 46, 55.

Nicolaus de Lyra, 54 s., 57.
Nicolaus Manjacoria, 12 ss.
Nomen Domini tetragrammatum, 41, 47.

Oxonia, 35, 53, 57.
Ouldericus, 34.

Parisii, v. Universitas.
Perus, 34 s.
Petrus S. Petri canonicus, 12.
Petrus Venerabilis, 4.
Prædicatores (Fratres), 26 ss.
Pronunciatio hebraicæ linguæ, 6 ss., 22, 23 s.; litteræ בּ, 7, 23, 40; דּ, 7, 23, 40; וּ, 7, 23, 33; חּ, 7, 21, 23, 41; יּ, 7, 23, 40; כּ, 7, 23, 40; סּ, 7, 21, 24; עּ, 7, 18, 21, 23, 40 s.; פּ, 8, 21, 23, 38; צּ, 8, 21, 24, 40; שּׁ, 8, 21, 24, 29; תּ, 8, 24, 29, 40 s.; vocalium, 8, 22; *seva*, 8, 22, 24.

Quæstiones hebraicæ in Genesim, 1; in libros Regum et Paralipomenon, 1 ss.

Rabanus Maurus, 1.
Raphe, 23, 40.
Raschi, 14, 34, 42 ss., 54 s.
Remigius Altissiodorensis, 25.
Rogerus Baco, 26 s., 35, 37, 44 s., 48, 53.

Salomo Isaacides, v. Raschi.
Salomo judaicus scriptor, 41.
Scholia hebraica in S. Scripturam, 3 s.
Seder Olam, 43.
Stephanus abbas Cisterciensis, 9 ss.
Stephanus Langton, 26.
Symbolum apostolicum hebraice, 7.

Talmut (Extractiones de), 22, 30.
Theobaldus (Frater), 30 s.
Translatio S. Scripturæ ex hebraico, 49 ss.
Triglossos (Liber), 46 ss.

Universitas Parisiensis, 25, 26, 30, 31, 57 s.

Willermus, v. Guillielmus.

Ychiel (Rabbi), 30.

LOCI SACRÆ SCRIPTURÆ

GEN. I, 2, p. 28.
I, 26, p. 33.
II, 4, p. 33.
II, 17, p. 29.
III, 15, p. 14.
IV, 8, p. 13.
IV, 16, p. 29.
IV, 18-23, p. 14.
VI, 2, p. 29.
VI, 10, p. 29.
XI, 15, p. 33.
XI, 29, p. 14, 43.
XXV, 1, p. 14.
XLI, 45, p. 14.
XLIX, 10, p. 14.

EX. II, 22, p. 33.
V, 23, p. 33.
XIV, 2 et 9, p. 33, 38.
XXVIII, 42, p. 34.

NUM. VIII, 2, p. 33.

DEUT. XXII, 9, p. 43.
XXX, 7, p. 33.
XXXII, 13, p. 43.

JOS. X, 38, p. 33.
XV, 9, p. 33.
XIX, 48, p. 33.

JUD. I, 11, p. 34.
XII, 6, p. 29.

I REG. III, 3, p. 51.
XXI, 6, p. 14.

II REG., V, 23, p. 12.
X, 10, p. 34.

III REG. X, 11, p. 34.

I PARAL. II, 8, p. 34.

JOB II, 10, p. 10.
III, 4, p. 10.
V, 15, p. 10.
VI, 7, p. 10.
XVII, 6, p. 10.
XLII, 14, p. 43 ss.

PSALM. II, 8-12, p. 7.
XLV, 2-6, p. 7.

PROV. XII, 11, p. 29.
XV, 28, p. 29.
XVIII, 10, p. 41.
XXX, 19, p. 29.

ECCL. I, 2, p. 44.
X, 19, p. 44.

CANT. V, 11, p. 34.

ES. VII, 14, p. 29.
XXXIII, 19, p. 34.
LII, 11, p. 43.

JER. VII, 32, p. 14.
X, 11, p. 39.
XXV, 26, p. 42.

JON. III, 1, p. 38.

MAL. III, 10, p. 43.

LUC II, 15, p. 10.
X, 30, p. 10.

ACT. X, 6, p. 10.

Nanceii, typis Berger-Levrault et sociorum.